
616
Al 9a

ANTONII ALVAREZ

IN COMPLVTENSI, ET Pintiana Schola medicinæ Doctoris, & olim publici professoris,


ATQ; ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISS. DOMINI PETRI GIRONIS OSSVNAE DVCIS, ET NEAPOLIS PROREGIS, Medici præstantissimi;

Epistolarum, & Consiliorum Medicinalium

PARS PRIMA

OMNIBVS, NON MEDICIS MODO, SED etiam philosophiæ studiosis, utilissima.

CVM PRIVILEGIO.





NEAPOLI,
Apud Horatium Saluianum. MDLXXXV.

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISS.

DOMINO PETRO GIRONI, OSSVNAE DVCI, ET NEAPOLIS PROREGI,

ANTONIVS ALVAREZ FOELICITATEM.



X virtutum generibus ab antiquis philosophis, præcipuèque ab Aristotele celebratis, ea DVX MAXIME reliquas lōgè superat, quæ liberalitas nuncupatur, non solùm enim nos alijs hominibus admirabiles, verùm si qua alia Deo maximè similes reddit, qui ob eam potissimùm causam (si Platoni credimus) mundum creauit, vt bonus cum esset, bona sua reliquis impartiretur. Hac tam eximia, raraq; hoc sæculo virtute maiores tui ornati cùm essent, immortalem sibi, atque posteris gloriam, summūq; apud reges honorem compararunt. Quid enim liberalius excogitari potuit, quàm comitem Dominum Rodericum cū magno suæ vitæ periculo regi Alfonso sexto inter medios hostes debellanti, equoq; destituto, suum tribuisse? (cuius beneficio rex ab hostiū manu euasit) elegisseq;, aut mortem potius subire,

aut ab inimicis capi, quàm regem suum in tanto discrimine periclitari; unde perpetuam sibi gloriam, ac suis posteris Gironum nomē præclarissimum fuit adeptus. Hæc eadem liberalitas fecit, Dominum Rodericum Gundisaluum Gironem aui vestigia insequētem, pro regeq; Alfonso octauo fortiter se gerentem, & in bello Alarci pugnantem, cecidisse magno cum sui nominis splendore. Quid referam de Domino Gundisalo Roderico Girone? qui sui temporis regum summus domorum præfectus tāta liberalitate erga omnes, domi, militiæq;, vsus fuit, ut libenter militum turba eum insequeretur; sicq; forti manu insignem uictoriā apud Nauas Tolosanas fuerit cōsequutus, et reginam Dominam Berenguelā à manu regis Enrici eius fratris liberauerit, & Domino Ferdinando (quem sanctum etiam uocarunt) inuito rege Alfonso eius patre, regnū Castellæ tribuerit, posteaq; mortuo parente, in regnum Leonis admitti fecerit, suaq; ingenti ui, etiam exteras gentes subijciens, regisq; regna magno cū honore augens, & misericordia, atq; charitate animi motus pauperibus magnam diuitiarum copiam distribuens, insigneq; hospitium iuxta oppidum Carrionis magno cum dispendio ædificare faciens, quò exteri, qui ad visitandam sacram Diui Iacobi domum per eam uiam cōtinuò proficiscuntur, et recipi, & à superueniētibus ægri-

ægritudinibus curari possent: cuius memoria in hũc extat diem, & in posteros permanebit. Hæc eadẽ virtus Dominũ Rodericum Gironem parẽtem suum, atq; maiores imitari fecit, & mortuo rege Enrico, Dominum Ferdinandum nomine sanctum Castellæ regem constituere, eiusq; inimicos subigere, & regis regna augere: qui regis domus etiã summus præfectus, propriaq; manu mille ducentos quinquagintaquinq; militaris ordinis equites constituens, & liberaliter maximam opum portionem monasterio Diui Bernardi, Sancta Maria de benevides nuncupato, impartiens, tandem glorioso nomine vitam finiuit. Quid dicam de alio Domino Gundisalo Roderico Girone aui etiam celeberrima facta imitante? qui viuente adhuc sancto rege Ferdinando, posteaq; sapientissimo Alfonso eius filio regnante, cùm regni Murtiæ summus esset præfectus, nobilissimã, fortunatissimamque Gironum familiam sanguinolenta cruce, altaque dignitate magni magistri ordinis militum Diui Iacobi illustrauit, post multas victorias sanguinem inter Dei, atq; regis inimicos inuicto animo effundens, & vitam immortali gloria cum morte commutans. Hunc Dominus Gundisalus Rodericus Giron nihil ab aui fortissimo animo degenerans ita est insequutus, vt fortissimè pro rege Alfonso vndecimo aduersus Nauarros,

&

& Aragonenses se gesserit, & alijs strenuis militibus adiutus eos à Castellæ finibus ablegauerit, posteaque sanctæ fidei inimicos sæpius pro regis sui defensione expugnauerit, et liberaliter magnis periculis se exposuerit, eiusq; regna auxerit. Non minori virtute Dominus Ferdinandus Rodericus Giron regem Petrum insequutus, & pro eo apud fluuium Durium cũ regis inimicis fortißimè pugnans, cecidit: & Dominus Alfonsus Tellius Giron iustas reginæ Mariæ partes sequens mortem contempsit. Quibus laudibus efferam Alfonsum Tellium Gironem Comitis Martini Vasci de Acuna clarißimi et genere, et armis viri, & Illustrißimæ Dominæ Teresæ Telliæ Gironis filium? qui inter præcipuos sui temporis pro Ioanne secundo multis periculis se exposuit, & idem, licet patris cognomine posset gloriari, matris tamen cognomen propter clarißimam Gironum familiam fuit adeptus. A quo duo filij, vnus, Ioannes Pachecus, alter, Petrus Giron, tanquam duo Hispaniæ lucentia lumina, generati, sic pace, & bello valuere, & pro rege Enrico ita strenuè se gessere, vt vnus, regis domus summus præfectus, Marchioq; Villenæ, & magnus magister equitum ordinis Diui Iacobi fuerit constitutus, alter verò, Vreniæ Comes, et magnus equitum Calatrauæ magister effectus, ad honoris, status, & diuitiarum culmen fuerit deductus:

cùm

cùm enim magnis, et continuis periculis se exposuis-set, & in regni Granatæ bello militum summus dux effectus priuato duello Albaialdum inimicorum for tissimum occidisset, proprijsq; sumptibus, effuso etiã sanguine ex uulnere capiti illato, Archidonam debel lasset, regisq; dominio subiecisset, Enricus rex non tantùm dictum oppidum, sed et alia quamplurima, propter res in bello gestas, illi, & suis in posterum suc cessoribus præstitit, & pro bonis proprijs, atq; acqui sitis, iure maioratus primo eius filio Domino Alfon so Tellio Gironi regia facultate concessit, & aposto lica confirmari fecit, simul cum regijs officijs magni camerarij, & notarij maioris regni Castellæ, & ti-tulo Comitis Vreniæ: tandem ad tantam status, & honoris altitudinem deuenit, vt rex sororem Domi nam Isabellam illi in vxorem fuerit pollicitus, Pon-tifice Pio secundo annuente, & illius loco Dominũ Rodericum Tellium Gironem secũdum eius filium in magni magistratus Calatrauæ sedẽ succedere fe-cerit, & nisi dira, & immatura mors illum præoc-cupasset, proculdubio Dominæ Isabellæ maritus, & multorum regnorum rex fuisset effectus. Neq; silen-tio prætereundum est, quanta fuerit fortitudo Do mini Roderici Tellij Gironis magni magistri Cala-trauæ, & Ioãnis Tellij Gironis eius fratris, qui, post obitũ Domini Alfonsi Tellij Gironis, secundus Vre

niæ

niæ Comes fuit cõfirmatus; ambo enim parentis magnanimitatem, in rebus bellicis audaciam, & erga milites liberalitatem ita fuere imitati, vt in catholici regis Ferdinandi gratiam fuerint recepti: quorũ forti manu rex plurimas obtinuit victorias. Neque minori gloria Dominus Rodericus Giron magnus Calatrauæ magister priuato duello Alatarum fortissimum regis Granatæ militem interfecit, quàm eius pater Albaialdum occidit. Tandemq; in Loxæ assidio cum immortali nomine inter medios hostes fortissimè pugnans, sagittis percussus vitã finiuit. Neq; ob id eius frater Ioannes Tellius Giron à bello destitit, quinimo magis inimicorum odio persitus, & regis amore inductus, per decẽ annos magnis sumptibus strenuè adeò se gessit, vt suis viribus, inter alios præcipuos duces, Granatæ regnum regis Ferdinandi dominio subiecerit; liberaliq; manu tandẽ pauperibus magnã bonorum suorum partem impartiens gloriosè vitam finiuit. Quẽ eius filius Dominus Petrus Giron tertius Vreniæ Comes insequutus, contra inimicos fortissimũ adeò virum se præbuit, vt grauissima pericula subire non dubitauerit: effusoq; sanguine, cum alijs strenuis ducibus, & militibus, Nauarræ regnum recuperauerit, & in Africa, propter res gestas, fortissimi viri nomen fuerit adeptus: tandemq; subditos pace, & iustitia conseruans, liberaliterq;

terq; montiũ sui status partitione ditiores efficiens, cum magno omnium mœrore obijt. Cui successit Dominus Ioannes Tellius Giron eius frater, quartus Vreniæ Comes, tuusque dignißimus pater, qui fœlici pace, incredibilique liberalitate vtens, in Ossunæ oppido insigne erexit templum supremis ædificijs elaboratum, idque magna diuitiarum copia dotauit, & innumerabili vasorum auri, & argenti: numero, atque insignium ornamentorum ditauit, constituitque supremum Abbatem, aliasque dignitates, canonicos, rationarios, atque capellanos, qui continuò horas canonicas solemniter, deuotèque in diuini cultus honorem profitentur. Insuper in eadē collegiali Ecclesia sub maiori eius altari sepulchrum miro erexit artificio, eximiaque arte elaboratum, & magnis sumptibus fabrefactum, particularique Ecclesia contentum, quæ sub maiori templo ædificata, priuatos, atque proprios continet capellanos, qui quotidie diuina officia magna cum quiete decantātes, atque celebrantes, assistentium animos ad diuinam contemplationem erigunt. Sub hoc templo, aliud non minus admiranda continetur arte, vbi defunctorum ossa in excauato parietum congruo loco continentur, ibique statutis septimanæ diebus capellani missas etiam decantatas celebrant. Summa etiam liberalitate Septem monasteria eodem in oppi

†† *do*

do ædificauit, atque dotauit, quibus diuinus cultus assiduè celebratur, sacraque Dei euangelia interpretantur, & docentur. Erexit præterea aliud templũ vinculo Diui Petri dicatum, in quo priuatim constituti capellani cum suo præside preces Deo fundũt. In Moronis oppido monasterium etiam unum Diuo Francisco erexit, & in Arahale alterum minimorum fratrum, & in oppido Puebla dicto illis insignẽ præbuit domum, quæ collegij loco deseruit, in eaque artium studia profitentur. In Archidona etiam insigne Diui Dominici monasterium struxit, & dotauit, Deum gratum habere cupiens, quem cõtinuis precibus, vt filium hæredem sibi concederet, deprecabatur: sicque intra annum te obtinuit principem excellentissimum, Deoq; reddens gratias pro tãto beneficio, eodem in oppido aliud instituit monasteriũ minimorum fratrum, et in Valle formosa aliud pro fratribus tertij ordinis Diui Francisci, simul impartiens argenteos, & auratos calices, cruces, & ornamenta serica, & filo aureo, & argenteo constructa, atque elaborata, nõ modo suorum statuum Ecclesijs, verùm quamplurimis alijs vicinis, quæ tãti viri magnificẽtiam erga diuinum cultum sæpius experiebantur. Tãdem Christiana etiam pietate erga proximũ inductus, charitatis opera exercens egenis subueniebat; pauperum etiã gratia hospitium in oppido

pido

pido Ossunæ erigens, ubi mederi, et ab ægritudinibus leuari, liberariue possent. Neq; excelsus eius animus quieuit, donec ad maiora ascendēs, quæ ad reges maximè attinere vidētur, insigne literarum collegium construxerit ad Complutensis similitudinem, ita fabrefactum, in perpetuumq; dotatum, vt nunquam deficere poßit: inter omnes enim seculares Hispaniæ principes, literas, & earum studiosos mira benignitate, & haud vulgari beneuolentia in tantum fuit prosequutus, vt primus dictum collegium in studiosorum vtilitatem, & gloriam erigere, cōstituereq; decreuerit, grammatices, rhetorices, logices, philosophiæ, medicinæ, vtriusq; iuris, sacræq; theologiæ institutores creans, et ab insignibus scholis adducēs, qui easdem sciētias publicè docere, & disputare valerēt, et hominum animos à tenebris in lucem redigere poßent, sanè vt prudentißimus vir intelligens, quātus christianæ religioni, optimæq; reipublicæ gubernationi in posterum prouētus fieri debuisset; vnde christianissimi, catholiciq; principis nomen optimo iure illi debetur. Id testantur inter reliqua, solēnia festa Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, puræq; Cōceptionis Diuæ Mariæ, magno apparatu, solēnibusq; sacrificijs quotannis celebrata, donaq; liberali manu illis diebus pauperibus impartita; confirmantque, eius probitas, morum integritas, sanctimo-

ctimonia, et christianißimus, catholicusq; vitæ finis. Inter reliquas DVX EXCELLENTISSIME fortunæ, & animi dotes, quibus natura teipsum insigniuit, potißimum gloriari potes, quòd tali parente dignum filium te referas, non modò animi magnitudine, sublimitate ingenij, naturali eloquentia, innumerisq; alijs virtutibus, verùm summa liberalitate, quam maiores tui semper profeßi sunt: quæ n. excellentißimus pater in Dei gloriam, & honorem, reipublicæq; vtilitatem erexit, non modò conseruare, verùm maximo, quod facis, studio colere, et amplecti curas, in tuamq; tutelam, ac fidem suscipis, et literarum collegium magis, ac magis exornare, et in dies noua liberalitate augere, cumulareq; non cessas, de nouo etiam pro monialibus D. Hieronymi in oppido Moronis monasterium reædificans, atq; tui status pauperibus, & egenis, liberaliter subueniens. Eandem tuam liberalitatem comprobat magnum diuitiarum factum dispendium, quando à Franciæ finibus comitabaris Reginam Dominam Isabellam simul cum Illustrißima matre tua eius maiori cameraria, dum eam catholicus Rex Philippus in vxorē suscepit; vnde tui status magnitudo, non modo nostris, sed etiam exteris nationibus, quæ tuam eximiā experiebantur liberalitatem, cum magna tui gloria, & admiratione, cognita fuit. Neq; minori sumptu

vsus

vsus es, dum simul cum excellentissima matre eandem reginam ad Franciæ regnum proficiscentem comitatus magno splendore matris, atque tuam domum toto illo itinere illustrasti. Tuæ etiam liberalitatis manifestissima testimonia sũt res in bello Granatæ gestæ per plurimos fortissimos viros, atque milites tui status, quos proprijs expensis, vt Regi inseruirent, per totum illius belli tempus conduxisti. Tuæ quoque liberalitatis, fidelitatis, & amoris erga Regem (cuius seruitio totus semper deditus es) exemplo esse possunt res à te factæ in Portugaliæ regno, dum à Catholica Maiestate missus ad Regem Enricum, de illius regni successione pertractans, non modò per duos fere annos magnam diuitiarum copiam splendidè consumens, & Lusitanorum primarijs ditissima munera tribuens, eosque summis honoribus afficiens, simul pollicitus regis gratitudinem, & gratiam, tuo prudentissimo consilio, & acerrimo iuditio, duros præcipuorum lusitanorum animos lenieris, sed iustam catholici Regis causam comprobari feceris, non sine magno tuæ vitæ periculo; nullum magno Principe, immortalitatemque merituro impendij genus dignius existimans, quàm quod in Regum seruitia erogatur. Ideoque eadem animi promptitudine catholico Regi fuisti obsequentissimus, dum regni Neapolis proregem

te con-

te constituit, & in longo adeo itinere, Illustrißimo Comite de Haro, totq; Illustribus Hispaniæ viris comitatus, tam liberalem te præbuisti, vt omnes splẽdidißimam domum tuam, ac verè regiam admirarentur. Quod quidem ad eximias, & raras illas virtutes (quas sibi quisque de tua Illustrissima natura pollicetur) adiungentes, nomen illud Gironis ingẽti gloria, ac fama, maximaq; cum omnium beniuolẽtia vno ore ad sydera vsq; eleuant, teq; tanquã quid diuina manu missum celebrant. Gaudet Neapolis senatus egregius suæ reipublicæ commoditatem experiens, & quantus in ea quotidie prouentus fiat cõsiderans. Lætatur regnum vniuersum, quòd Iustitia, pace, & abundantia tuo tempore potiatur. Quamobrem maximè delector, quòd ad tãti Principis seruitium fuerim aduocatus, oblataq; sit occasio, qua medici cubicularij locum apud te habere liceat, & vnus ex varijs Hispaniæ locis cõquisitus, idoneus visus fuerim ad id muneris obeũdum. Neq; vnquam difficile mihi visum fuit his priuari commodis, quæ Burgensi Hispaniæ insigni ciuitate, dum per multos annos medendi artem exercerem, mihi paraueram, aut quod in singulos annos eiusdẽ ciuitatis senatus egregius pollicebatur liberalißimum stipendium, vt apud eum permanerem, animum vnquam immutauit meum, vel longi itineris cum vxore, filijs, vber

apud

rimaq; familia, non contemnenda difficultas. Quæ omnia superauit magna quædam prosperæ fortunæ concepta fiducia, quòd te optimum, pium, gratissimum, liberalissimumq; patronum habeam, & tuæ munificentiæ munera quotidie experiar. Proinde, cùm exoptarem, meam hanc spem apud omnes notissimam fieri, volui nostram primam epistolarum, atq; cōsiliorum medicinalium partem in lucem prodeuntem nomini tuo dicare, vt ea, qua soles, liberalitate protegas, & tuo splendore inuidētium tenebras diluas, animumq; ad maiora perficienda excites: spero enim, bonarum literarum studiosis vtilitatē, & propter rerum uarietatem, delectationem allaturam. Accipe igitur Heroum maxime benignissimo uultu tuo nostras has lucubrationes, tanquam meæ erga te obseruantiæ, & fidelis seruitutis, atque amoris certissimum signum.

PHILIPPVS DEI GRATIA REX. &c.

OMINVS PETRVS GIRON Dux Ossunę, dominus domus, & status Vrenię, Maior Camerarius suę Regię Maiestatis, & in pręsenti regno pręfatę Regię, & Catholicę Maiestatis Vicerex, Locumtenens, & Capitaneus generalis, &c. Magnifico viro Ar:me: do: Antonio Aluarez regio fideli dilecto gratiam regiam, & bonam voluntatem. Nuper pro vestri parte fuit nobis pręsentatum memoriale cum quibusdam relationibus de nostri ordine factis Reueren di Bartholomęi Perez de nueros de Societate Iesus, & magnifici Ar.me.do. Cęsaris Scannapeci tenoris sequentis, videlicet. Illustrisimo, y Excellentisimo Señor. El doctor Anton Aluarez supplica à V. E. mande ver por vn medico docto desta Ciudad de Napoles, y por vn Theologo, vn libro por el compuesto intitulado la primera parte de las Epistolas, y consejos medicinales dirigido à V. E. para que constandole ser vtil, y prouechoso, y no auer en el cosa erronea le haga merced de dar licencia para que se pueda imprimir, que la recibira muy grande de V. E. vt Deus. Sequitur tenor dictarum relationum, videlicet. Cum quę in hoc libro sapientisime disputata attentè cōsideraui, nihil à fide, aut religione catholica alienũ inueni. Reperi pręterea multa ex his, quæ ad philosophiam pertinent, magna cum subtilitate, & eruditione tractata, quęq; philosophię disciplinę studiosis ingen i vt spero vtilitati erũt. In Collegio Societatis Iesu 6. Calen. Octo. 1584. Bartholomęus Perez de nueros, Illustriss. ac Excellentiss. D. D. Petro Gironi Ossunę Duci, regniq; Neapolitani Proregi. Antonij Aluarez medici, ac Philosophi peritissimi, Excell. Princeps, Epistolarum, & consiliorum medicinalium partem primam te imperante perlegi, opus quidem omnibus gratum, atque perutile non medicis modò, sed & philosophis, cui profecto nec adijci quicquam, nec ab eo demi potest, secus ac in medicina, quę appositio est, & ablatio Hippocrate authore libello de flatibus, ob idque in lucem edi opinione mea, ac imprimi, & potest, & debet: Viue semper felix, Neapoli die quintodecimo Septēbris 1584. Cæsar Scānapecus medicus. Et viso per nos tenore pręinserti memorialis, & relationum prędictarum, considerantes opus prędictum esse pervtile huic regno, vestris propterea supplicationibus inclinati, tenore pręsentium de certa nostra sciētia cum deliberatione, & asistentia Regij Collateralis Consilij penes nos asistētis Statuimus, quod nemini liceat per annos decem à die datę præsentium in antea numerandos opus prędictum imprimi facere, seu ordinare, absque speciali permisione, & licentia vestri prædicti magnifici Antonij Aluarez, vel vestrorum hęredum, & successorum dicto tempore perdurante: quod si quis contra hanc nostram ordinationem facere attētaret, ipso facto opus prędictũ taliter impressum in hoc regno, aut quomodo-

modolibet ex qualibet parte inductum deuoluatur, & sit vestrum, vel dictorum vestrorum hæredum, & successorum vltra pœnam vntiarum auri quinquaginta, in quam incurrere intelligantur contrafacientes, medietatem vz. vobis, dictisq; vestris hæredibus, & successoribus applicandam, & aliam medietatem Regiæ Curiæ. Dummodo opus prædictum sit per vos nouiter factum in hoc regno, & non aliter. Mandantes propterea per præsentes omnibus, & singulis officialibus, & subditis regijs maioribus, & minoribus quocunque nomine nuncupatis titulo, officio, auctoritate, potestate, & iurisdictione fungentibus, pręsentibus, & futuris, ad quos, seu quem spectabit, & pręsentes peruenerint, ac fuerint quomodolibet præsentatæ, vnicuique in sua iurisdictione, quatenus vobis, seu alteri legitimæ personæ pro vestri parte præstent, & præstari faciant omne auxilium, & fauorē necessarium, & opportunum super consequutione dicti operis in casibus præmissis vobis deuoluti, ac pro consequutione dictę pœnæ. Adeoq; pro prædictis ad nos recursum habere vobis necesse non sit. Et secus non agatur sub ira regiæ indignationis, ac pœna ducatorum mille. Præsentibus regio sigillo à tergo impressis præsentanti singulis vicibus remansuris. Datum Neapoli die 20. Nouembris Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Quarto.

Don Pedro Giron.

Vidit Cadena P. R.

Dominus Vicerex Loc. & Cap. Gen. mandauit mihi Bastida de Munatones.

Licentia imprimendi suprascriptum opus per annos decem, ad instantiam Magnifici Ar. Me. Do. Antonij Aluarez cum insertione relationum Reuerendi Bartholomæi Perez Denueros, de Societate Iesu: & Magnifici Ar. Me. Do. Cæsaris Scanapechi.

ΙΩΑΝ. ΦΡΑΝΚΙΣΚΟΥ ΛΟΜΒΑΡΔΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥΤΕ,
καὶ ἰατροῦ πρὸς τὸν Ἀναγνώστην φίλον, καὶ φιλαλήθη
Δεκάστιχον.

Ἀ ΛΒΑΡΟΣ Ἰσπανῶν τὸ κλέος, καὶ δόξ᾽ ἐπιφανής
Ἐσθ᾽ ὑπερασπιστὴς Ἀλτιμάροιο μέγας,
Θαῦμα φρεσ᾽ ἐγγίνεται, φύεται νάρκημα μέγιστον,
ὄφρα τὸν ἄνδρα φιλεῖ ἰταλὸν ἀλλόφυλος,
Ἐστὶν ἀληθείας δύναμις ἀνδρεία, καὶ ἀκμή,
ἑλκύει πρὸς ἓ τὸ πᾶν, καὶ ἐνοῖ κρατερῶς.
Μὴ θέλε θαυμάζειν Ἀναγνωστά, μέμνησο λόγοιο
τοῦ Λόγου ὑψιθρόνου γράμμασιν εἰν ἱεροῖς,
Ἄλβαρον Ἀλτιμάρου τὸν φίλτατον αὐτὸς ἀγάπα:
οὐκ ἔσο καὶ δέομαι τῷ ἀχάριστος ἄγαν.

IOANNIS FRANCISCI LOMBARDI THEOLOGI, ET MEDICI

Ad lectorem amicum, veritatisq; studiosum, ad verbum ferè latinè redditum.

DECASTICHON.

ALuarus Hispanorum insignis gloria, lausque,
Est propugnator strenuus Altimari.
Mirum oritur menti, torpedoque maxima repit,
Dum satis œnotrium diligit exter homo.
Est veri vis magna nimis, magnique vigoris,
Ad se cuncta trahit, fortiter atque ligat.
Mirari noli lector, reminiscere dicti
Altithroni verbi, quod sacra scripta docent.
Aluarum, amat mirè Altimarum qui, dilige semper
Nec valde ingratus deprecor esse velis.

AD ILLVSTREM, ET CELEBERRIMVM Ar. & Med. Doctorem Antonium Aluarez, in archiatrum suis quam primum meritis electum.

Ioannis Gregorij Grandis Messanensis Ar. & Med. Doctoris.

EPIGRAMMA.

Dixerat accedens inuictus Cæsar ad hostes;
Vix veni, vidi, parta trophæa tuli.
Posteritas factum celebrat, miratur & illud,
Quid faciet, videat, si modò maius opus?
En tibi ab Hispanis veniens Antonius oris,
Quæ superant, peragit maxima gesta, fidem:
Vix venit, legit, secuit, dehinc edidit, vnde
Supremum medicæ scandit in arte gradum.
Quantò animus præstat mortali corpore, tantò
Ingenio cedant Cæsaris arma tuo.

Eiusdem in laudem operis.

Qvisquis es Altimari cultor, veriq; professor,
Esse Machaonia clarus & arte cupis:
Hoc opus euoluas, quod præstat notus vtraque
Aluarus Hesperia, fama loquetur opus.
Altimari hic cernes à Salui dogmata telis
Oppugnata, operis nunc ope tuta noui.
Hic defenduntur grauium monumenta virorum,
Ne sine docta bono vindice scripta ruant:
Multorum hic cernes medicamina vera malorum,
Pro morbis varium consiliumque datur.
De rebus medicis, quarum ardua quæstio torquet
Scriptores, Author disserit, atque docet.
Accedas, hic sunt hortus, vbi fructus, & omnis
Flos medicæ artis adest, elige quæque placeit.

CLAVDII LIBESSARDI ATREBATIS TYPOGRAPHI AD Authorem, necnon ad Lectorem,

EPIGRAMMA.

SI Hippocrati meritò primas dat Græcia, fertque
Laudibus in cœlum Gallia Fernelium.
Nonne pares referet laudes tibi Iberia, cum sis
Artis tum medicæ, tum decus Hesperiæ?
Te doctrina, et nobilitate vigensne silebit
Urbs tanto fælix Parthenopæa viro?
Ecquis in Aonijs hortis studiosus oberrans
Non tam præclarum nomen ad astra feret?
Quod tu tam facili methodo, ac Epidaurius alter
Doctaque consilia, & pharmaca sana refers.
Succinctèque refutas id, quod Sclanus in illa
Scripsit, quæ sapiens edidit Altimarus.
Hunc igitur Lector lege si tibi cura salutis,
Atque Machaoniam, candide, quæris opem.
Et fac vt valeat, librum qui dente canino
Liuidus hunc lacerat, redde & eũ Harpocratem.

INDEX

INDEX
EPISTOLARVM, ET CONSILIORVM
QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR; ET EORVM, QVAE IN EIS PERTRACTANTVR.

aliter

Pars

P

Q

Quod

FINIS.



ANTO-

ANTONII ALVAREZ EPISTOLARVM, ET CONSILIORVM MEDICINALIVM

PARS PRIMA.

SALVO SCLANO VIRO DOCTISSIMO, ET IN Neapolitana Schola olim publico medicinæ professori, ANTONIVS Aluarez S. P. D.

Epiſtola prima.


PROPONVNTVR TREDECIM DEPVLSIONES Sententiarum Salui.



VM ERVDITISSIMA tua cõmentaria in primam aphoriſmorum ſectionem ſæpius perlegiſſem, Salue doctiſſime, teq; diuini Hippocratis admirandũ interpretem, gloriaq; digniſſimũ iudicaſſẽ, quòd non modo Donati Antonij ab Altomari tui magiſtri clariſſimi in re medica viri, ſed eximij præceptoris noſtri Chriſtophori a Vega, Manardi, Antonij Muſæ, aliorumq; doctiſſimorum medicorum doctrinam fueris æmulatus, quos omnes vt probatiſſimos viros admirari, & tanquã magiſtros venerari decet, non minus enim tali nomine digni ſunt, qui ſcriptis nos docuerũt, quàm ij qui viua voce veram Hippocratis, & Galeni mentẽ diſcipulis explicarunt, ſuæq; eximiæ laudis memoriam poſteris reliquerunt: non potui tamen teipſum non accuſare, quòd in multis ab eorum ſententia receſſeris, & in ipſorum veriſſima ſcripta calumnias iactaueris, male ab Hippocratis magiſtri iureiurando diſcedens,

A quo

quo suis præceptoribus summam gratitudinem pollicetur. Cũ autem impietatis titulus mihi odiosissimus sit, multo ęquius te fecisse existimassem, si doctissimos viros excusasses, si erat, in quo lapsi viderentur, aut ea omisisses scribere, a quibus neque gratiam, aut gloriam expectare potuisses. Ne igitur magistris ingratus videar, eorum partes agere, atque pro verissima illorum doctrina propugnare decreui, tuarũ in illos calumniarum depulsiones scribens, non vt occasionem caperem reprehendendi, & cum tanto viro contendendi, sed æquissimam potiùs præceptorum causam defendendi. Quòd si ob eam rationem pauca quædam acerbiora in te scripserim, pietati totum id tribuito, non insolitę maledicendi libidini. Vale vir eximie, & nostras quę iam sequuntur depulsiones beneuolo animo suscipito.



QVOD

QVOD OPTIME DIVIDATVR VNIVERSA MEdicinæ ars, in primas atque generalissimas eius partes, indicatiuam, prognosticam, & curatiuam, Depulsio Prima.



OMMVNIS est Galeni sententia, medicinę scopum sanitatem esse, finē verò, sanitatis adeptionem, quò enim medicus omnes suas considerationes, & cōsilia dirigit, sanitas quidem est, quæ scopus dicitur, interim dum intēditur, finis vero, quando iam acquisita est. Quia verò res, quibus absens comparatur sanitas, aut præsens conseruatur, salubres sunt, & dicuntur, propterea quòd eandem præsentē conseruant, & corruptam resarciunt: quibus autem eadem sanitas a debito modo, & naturæ lege recedit, insalubres vocantur, inde est quod ab antiquis medicinæ professoribus, ars ipsa medendi, salubrium, insalubriumq; scientia dicta sit; Et ita, rationalium medicorum ars, corporis naturam quod curandum suscipimus iubet cognoscere, & omnium etiam causarum virtutes, in quas quotidie corpus incurrit, quibus, aut salubrius, aut insalubrius redditur. Ideoq; Galenus primas, atq; præcipuas partes eas esse voluit, quæ a fine artis petuntur, & per quas finem artis consequimur: nam vel pręsentem sanitatē seruare studemus, vel morbū depellere, salutemq; de nouo inducere, id autem medicę artis finis est, qui tribus eiusdem artis generalissimis partibus acquiritur, indicatiua nempe, prognostica, atq; curatiua. Nisi enim symmetriam, siue debitam commensurationem totius humani corporis, atq; quomodo secundū naturam se habeat, cognoscamus: nullo pacto eiusdē ametriam, siue a debito modo recessum, aut quando est pręter propriam naturam intelligemus: similiter nec quando fruitur sanitate, aut morbo corripitur, deprehēdemus; quare inter primas medicinæ partes, indicatiua, quæ hæc omnia docet, cōnumeratur. Pręterea cū in medicina plurima salubria, & insalubria signa considerentur, quibus in cognitionem futuri euentus cuiusuis

Li. de sectis ad eos qui introducuntur. Cap. 1.

Medicæ artis finis tribus generalissimis acquiritur partibus, indicatiua, ꝓgnostica, & curatiua.

in suis ęgritudinis ducimur, aut imminens, & grauissimum sym ptoma venturum præuidemus, & præuidendo remedijs præca uemus, vt exoptatus acquiratur finis: hinc secunda generalissima medicinæ pars emergit, quam prognosticā nuncupamus. At quia cognita quauis ægritudine, vt curetur necesse est reme dijs ad illam propellendam aptis, iam tertia consurgit, prima, & generalissima etiam pars artis medicæ, quæ id docet efficere. His igitur primis, generalissimisq; partibus tota medica ars diuiditur, quæ directe ad eius finem referuntur; & harum aliæ subdiuisiones fiunt, quas passim in Galeni libris quisq; poterit intueri. Rectè igitur Altimarus vir de re medica bene meritus, & Galeni maximus æmulator, atq; ægregius præceptor meus Chrystophorus a Vega, inter primos nostri temporis medicos merito connumerandus, medicam artem prima sui partitione in dictas tres partes diuisere. Quorum sententiam confirmat Galenus, qui commentario primo in librum Hippocratis de victus ratione inquit, artificis non esse scopum, nihil prætermittere eorum quæ a plebe cognosci possunt; sed omnia scribere, quæ ad curationem idonea sunt, & ad finem artis conferunt. Et subiungit, id ex arte esse quod ad horum inuentionem vtile fuerit, ideoq; coniecturas, quæ tum ad dignotionem, tum ad prænotionem conferunt, non esse prætermittendas, cum de necessitate in his, quę ad curationem idonea sunt, hę contineātur. Si enim ad optimæ curationis inuentionem nihil conferrent morborum dignotio, & futurorum prænotio, prorsus hę superuacarent: nunc autem quod conferant, ob id commodę existunt. Affectuum autem dignotionem valde necessariā esse ad curandos morbos ex eo constat, quòd in primis quisnam sit morbus dignoscere expediat, deinde verò ipsius aggredi curationem; at quod prænotio ad curationem etiam commoda sit, demonstrauit Hippocrates in prognostici præfatione. Qui ergo omnia quæ ad medicinam spectant commoda, ea vel ad dignotionem, vel prænotionem, vel curationem esse dixerit, vir tute idem dicit: Curatiò siquidem per se a medicis exercetur, dignotio verò, & prænotio propter curationē. Ex quibus mani-

Commento primo.

Commento tertio.

nifestissimum est, tres esse primas, & vniuersales partes, quæ a fine artis petuntur, dignotionem nempe, prænotionem, atq; curationem. Quod etiam Galenus refert in libris de medendi methodo cum inquit. Vbiq; igitur (vt semper dicere soleo) cu ratio, dignotionem, prænotionemq; consequitur: siquidem & dignoscat quod præsens est, & prenoscat quod ex eo futurũ est oportet, qui volet notabilis efficatiæ remedio vti. Has itidẽ tres medicæ artis partes proposuit decimo septimo de vsu partium, quas omnes a fine venatur. At sub curatiua salubrẽ contineri ex eo constat, quod idem consequitur finis per conseruationem, qui per curationem acquiritur, & per eadem præcepta. Sicq; Galenus, artem medicam inter eas esse reputandã existimat, quæ faciunt, & conseruant: non tamen ob id geminum esse artis finem credendum, & quod non est, facere, vtpote sanitatem; & eam quæ est, conseruare. Nisi enim euidenter eadem essent præcepta ad vtrumque finem ducentia, differentibus etiam finibus diuersæ vtiq; essent artes, & duæ medicatiuæ ponerentur: at quia artis medicæ vnum est propositum, sanitas scilicet, finisq; vnus, qui est eius consecutio, & si modi consecutionis multiplices sint, nõ ob id propositum variatur, neq; finis secundum varium obtinendæ sanitatis modũ variari dicitur. Siquidem quæ nobis officere possunt cognoscentes, si ea iam nocentia submouemus, sanitatem acquirimus: ea verò deuitantes antequàm noceant, ipsam præsentem sanitatem conseruamus. Quare, præseruatiua (quam salubrem aliqui nominant) merito sub curatiua comprehenditur, eadẽq; cum illa existimatur. Valeat igitur Saluus, qui cum alios grauissimos viros damnat, Galenum in dicta artis medicę diuisione sequentes, in manifestissimum incidit errorem, existimans medicam artem prima, ac generali diuisione, in significatiuã, curatiuam, & salubrem diuidi, relinquens prognosticam, quę sub significatiua contineri non potest (cum multum differat dignotio, a prænotione) & eius loco admittens salubrem, quæ re uera sub curatiua comprehenditur. Et licet Galenus primo de sanitate tuenda, artis quæ corpori hominis tuendo dicata est,

Lib. 11. Cap. 6.

Cap. 1.

Salubris medicinæ pars sub curatiua continetur.

Lib. de opt. sect. ad Thrasy. cap. 5.

In præfatione com. in primũ librũ aphor. f. 31

Cap. 1.

est, duas tantùm primas, ac maximas partes dicat esse, quarũ alteram, sanitatis tuendæ, alteram morbi profligandi facultatem appellat: non ibi generali nomine medicam artem diuisit, sed vnam duntaxat eius partem, quæ ad sanitatem tuendã desideratur, nempe curatiuam medicinam, quæ in morborum curatiuam, & sanitatis præseruatiuam diuiditur: vtraq; enim in sanitatem dirigitur, vt amissa restituatur, vel præsens seruetur. Et hac ratione illa Galeni diuisio non fuit diminuta (vt Saluus opinatur) sed integra potius, cum probè curatiua, in morborum curatiuam, & in pręseruatiuam diuidatur: siquidẽ vtroq; modo sanitatis fit adeptio. Verum adhuc Saluus contẽdit, suam tueri sententiam de medicinæ facultatis partitione, *Cap. 40.* eo quòd Galenus libro ad Thrasybulum dixerit, duas principes esse, medicinæ partes, siquidem in arte corporis præside, si quis eam partiens inuenire partes quęrat: ęgros curantem, curatiuam, sanis consulentem, salubrem appellabit. Quibus partibus, quoniam (vt ille inquit) diminutè totam artem diui dunt, addẽdam esse aliam partem existimat, quam indicatiuã, vel significatiuã omnes medici vocant, sine qua sanitas acquiri non valet, æque prior cum alijs, quinimo, & quodammodo superior, cum salubrem, & curatiuã necessario præcedat, sicq; *Lib. de par. art. med. c. 6 et de sub- figurat imp. cap. 4.* ex Galeni sententia, tres dictas medicinę partes esse asserit, indicatiuam scilicet, salubrem, & curatiuã. Verum si perpendisset, quę à Galeno traduntur libro ad Trasybulum, intellexisset artem medicam non in genere, sed in specie diuidi ea ratione, *Cap. 40. citato.* qua diuisa fuit primo de sanitate tuenda: est autem dictæ diuisionis diuisum (vt à Galeno colligitur) pars medicinæ quæ cu- *Cap. 4.* ratiua ars, sicut & suũ genus nuncupatur. Ideoq; statim inquit, Ars corporis curam gerens emendatrix cum sit, qua parte magna vitia corrigit, medicatiua seu medicatrix noĩabitur, qua verò exiguas noxas tollit, ideoq; præ exiguitate, num etiã corrigat, sensum subterfugiens, conseruatrix, seu salubris dicetur. Cum autem magis, & minus non varient speciem, meritò salubris ex eiusdem Galeni sententia sub curatiua cõprehendetur, & diuisio dicta non erit diminuta, cum membra diuidẽtia, quę sunt

ſunt pars medicatrix, & ſalubris, verè totum diuiſum compre-hendant, quod eſt vna ex tribus primis partibus, ac præcipuis artis medicę, quæ curatiua pars nuncupatur. Nam ſi in genere tota ars diuideretur, diminutus fuiſſet Galenus, quod vitiũ illi tribuendum non eſt, cum alibi medicam artem generatim ſumptam, ex propria ſententia in indicatiuam, prognoſticam, & curatiuam diuiſerit. Quod autem ſalubris ſub curatiua com-prehendatur, probe exponit Galenus eodem libro, ex eo quòd ſi ex toto integrum, illęſumq; perduraret corpus, taleq;, quale ipſum ab initio creator fabricatum reliquit, nequaquam cor-rectore eguiſſet: at cum ſemper diffluat, atq; diſpereat, aliquo præſente obſeruatore indiget, qui & quod diſſipatur, quantũ, qualeq; ſit, cogniturus eſt, illicoq; tale, ac tantum viciſſim repo-nens inſtaurabit. Igitur quodcunq; vitium modò paruum, aut magnum ſit, ars vna modo vno emendat, ſcilicet quod deficit inſtaurans, & in quanto emendationis differentia verſatur. Hæc autem ars, vna medicatiua eſt, quæ vt medicatiua magna vitia curat, vt verò ſalubris parua emendat. At ſecundũ quan-tum differentia, in his, quæ fiunt, ad vnã artem pertinent: neq; enim alia ars vnum ſubtegminis filum quod exciderit repo-nit, alia tria, aut quatuor, aut quinquaginta: neq; alia ars pa-rietis particulam ruẽtem fulcit, communitq;, alia magnã eius partẽ collapſam reſtituit, quo enim modo res vnaquæq; a prin-cipio conſtructa eſt, eodem etiam corrupta reſtauratur. Eodem igitur modo ſalubris, & curatiua humanum corpus reſtaurãt, & priſtinæ ſaluti reſtituunt, quare meritò ſub vna generali, ac prima medicinę parte continentur, medicatiua, ſeu curatiua, aut correctiua nũcupata: ſicq; ſpecies gaudet nomine generis, quia non eſt aliud nomẽ quod ſibi imponi poſſit. Et ita Ariſto-teles diuiſit diſpoſitionem, in habitum, & diſpoſitionem, nomẽ generis ſpeciei attribuens, cũ aliud deficeret, quod illi adapta-retur. Eſt igitur ſalubris pars medicinæ eadem cum curatiua, quod Galenus confirmat eodem libro ad Thraſybulum, cum demonſtraſſet duplici modo ſanitatis fieri adeptionem; vno, curando magna corporis vitia, quod fit medicinę parte cura-

Ad Thrasy. c. 19. 20. & 21.

In prædica. c. de quali tate.

Cap. 26.

tiua, altero verò, parum labefactata corrigendo, quod salubri efficitur: tandem id multos subterfugere inquit, tanquam salubre sit a curatiuo differens genus existimantes; cum re vera sub vnam, eandemq; contemplationem vtranq; partem incidere, salubrẽ videlicet, atq; curatricem demonstrauerit, & authoritate Platonis comprobauerit, qui in Gorgia hæc inquit. Duæ res cum sint, duas esse artes dico, vnam animæ, quam ciuilem appello, alteram corporis, quam & ipsam vnam quo nomine appellem non habeo: sed vna cum sit corporis curatio, duas partes nomino, gymnasticam vnam, medicatricem alteram. Quibus verbis Plato planè demonstrat, curatiuæ partis medicinæ duas esse partes diuidentes, salubrem, & medicatricem, quæ nominatæ sunt: pars verò curatiua, quæ istarum respectu diuisum dicitur, nomine caret, & ideo partis nomine gaudens curatiua ars dicitur. Tandem eodem libro Galenus laudat Platonem, quòd salubrem artem curatrici in partitione non opposuerit, quemadmodum antedicti viri alij fecerũt. Sub curatiua igitur continetur salubris medicinę pars, sicq; in vniuersali, ac prima partitione artis medicæ collocanda non est, vt Saluus fecit, reprehendens Altimarum, & Christophorũ a Vega, qui veri Galeni immitatores cum essent, ipsius generalem, & primam artis medicæ diuisionem proposuere, in indicatiuam, prognosticam, & curatiuam: licet enim curatiua a medico per se exerceatur tanquam ars, quæ immediatè eum ducit in finis consecutionem, dignoscitiua, & prognostica etiam ab illo exercentur propter curationem. Vnde fit quod pars curatiua, quæ immediatiùs sanitatem respicit, & curandi ars propriè nuncupatur, probè diuidatur, in curatiuam, & salubrem; vtraq; enim parte immediatè acquiritur finis: si verò finis consideretur quatenus mediatè, vel immediatè proponitur acquirendus, tunc generatim ars quæ humano corpori curãdo pręest, optimè diuiditur per primas, atq; vniuersales partes, scilicet, indicatiuam, prognosticam, & curatiuam. Sed videamus quibus Galeni authoritatibus Saluus suam fulciat medicę artis partitionem in indicatiuam, salubrem, & curatiuam: nã quæ

Cap. 38.

Altimarus, & Vega, a calũnia ven dicantur.

ab illo

ab illo tradita est libro de partibus artis medicæ, fide caret, cũ genuinus non sit Galeni liber, & licèt eo authore dignus existimetur, tamen quisquis ille fuerit, non ex propria sententia, sed ex magna empyricorum parte inter finales artis partes, significatiuam, curatiuam, & salubrem collocandas esse dicit: & cum empyricorum varias sententias damnasset, tãdem subiungit hæc verba. Porrò melius egissent, si dixissent (quemad modum etiam ex ipsis aliqui dixerũt) vnam esse istius artis partem significatiuam, alteram curatricem, tertiam verò salubrẽ. Ex quibus cõstat authorem illius libri non voluisse ex propria sententia tres prædictas medicę artis primas partes constituere: sed quia varij erant empyrici in eis asignandis, eos meliùs fecisse iudicat, qui in dictas tres partes vniuersam medicinam diuisere. Est alia Galeni authoritas in libro de subfiguratione empirica, quem germanum Saluus appellat, etsi in græco codice desideretur, ea autem suam comprobasse sententiam existimat, de artis partitione in significatiuam, curatiuam, & Salubrem: verùm in toto illo libro, cuiusuis authoris ille sit, tanquam empiricus loquitur. Quod in eius initio significauit, dicens. Tu verò quæ deinceps dicturus sum tanquam ab empirico dicta suscipies; rationalem enim agens medicum proprijs libris, & ex propria sententia, totam artem medicam in primas, atq; vniuersaliores partes diuidens, in indicatiuam, prognosticam, & curatiuam partitus est. Quem Altimarus, & præceptor noster eximius Christophorus à Vega sunt imitati, ideoq; constat eos bene collegisse, & ad Galeni mentem, quæcunq; de artis diuisione protulere: Saluum verò eos reprehendentem, reprehensione dignum fore apud omnes veræ medicinæ professores, quòd præceptorem impiè redarguerit, & in sua partione a vera Galeni mente discesserit.

Cap. 4.

Cap. 1.

Com. 1. et 3. in lib. Hipp. de vict. rat. & 11. de med. metho do c. 6. et 17 de vsu part. Cap. 1.

QVOD HIPPOCRATES IN SECVNDO APHORISmo primæ sectionis per qualitatem, non solum intellexerit speciem, vel differentiam humoris vacuandi, sed omnes etiam conditiones ad debitam purgationem requisitas.

Depulsio secunda.

Purgatio quid sit.



IN ENARRATIONE secundi aphorismi primæ sectionis Galenus nihil aliud purgationẽ esse dicit, quàm humorum sua qualitate molestantium euacuationem, quæ vel a natura fit rectè operante, vel ab arte; a natura quidẽ quando per secessum superabundans pituita euacuatur, aut flaua, vel atra bile infestante, bilis noxam inferens ab ipsa natura in euacuatione prętertur: ab arte verò, quã do concocto humore per electiue euacuans medicamentũ educitur. Humorum igitur corpus infestantium speciem, seu differentiam, per qualitatem, Hippocratem, atq; Galenum intellexisse ex eo constat, quòd vnusquisq; humorum a temperatura, vel qualitate sua habeat quod sit talis humor, & non alius, & quia spontè facta purgatione in his, qui laborant febre ardente, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & bene ferunt ægrotantes. Si enim humor, qui causa est ardentis febris (qualis biliosus existit) a natura vacuatur, sequitur conferentia, & tolerantia, si verò alius a biloso expurgetur, cõtra euenit, quoniam alterius speciei est ab eo, qui morbũ constituerat: ab arte autem (cum medicus semper in his, quæ rectè fiunt naturam imitetur) si talis fiat euacuatio, qualis fieri debet, hoc est, humoris peccantis, & non alterius speciei, sequitur conferentia, & tolerantia. Conferentia igitur, & tolerantia, optimam fuisse ostendunt, & proprij humoris, qui morbum constituerat, expurgationem; at quia id fieri nequit, nisi præcesserit debita dicti humoris concoctio, ideo per qualitatem, non solum significauit Hippocrates humoris speciem, sed ipsius etiam concoctionem, & quamuis aliam conditionem ad optimam euacuationem requisitam, vt Galenus interpretatur

Humorum speties per qualitates cognoscuntur.

primo

primo de ratione victus in acutis, vbi si in his, quæ a pulmone excernuntur, qualia oportet excernantur, necessarium esse coctionis habere notas affirmauit. Et ideo concocta medicari iubet Hippocrates, non autem cruda, idest, iubet purgari humores sua qualitate molestantes, qui concocti iam sunt, sic enim confert dicta euacuatio, & eam leuiter ferunt ęgrotantes, quēadmodum si a natura fiat rectè operante: coctiones enim celeritatem iuditij, & securam ostendunt sanitatem. Cęterum siue a natura, siue a nobis euacuatio fiat, oportet omnino constituere quandam ipsius mensurā, sicut enim (vt Galenus inquit) qualitatem pro humoris molestantis ratione vacuari: ita videlicet quantitatem multitudini infenstantis humoris responde re oportet. Cum verò quantitatis nullum habeamus iuditium, nisi quod ex facilitate tolerantiæ sumitur, ideo ad debitā purgationem, quam sequitur conferentia, & tolerantia, non solùm humoris nocentis cognoscere speciem, & illius euacuationem moliri expedit: sed etiam in quantitate, modum non excedere, quoniam si immodica fiat dicti humoris euacuatio, nō sequitur tolerantia, quod cōfirmat Gal. 3. artis medicę c. 6. & 7. nam licet humor superexcedens euacuetur, quia in immoderata ipsius euacuatione simul etiam ex ijs, quæ in corpore sunt secundùm naturam aliquid excernitur, dissolui, ac debilitari ęgri vires, & tolerantiæ difficultatem sentiri est necesse. Nō igitur per talia, & qualia intellexit Hippocrates solùm humorum lędentium speciem (vt male opinatur Saluus) sed debitā etiam atq; moderatam eorundem quantitatem, cum immoderatam non sequatur tolerantia, vt doctissimus Christophorus a Vega exposuit. Nam & si eductio totius aquæ in hydrope, & vniuersi puris in magni abscessus incisione, conueniat ratione humoris infestantis, quia tamen cum immoderata euacuatione, immoderatè etiam spiritus euacuantur, & virium lapsus sequitur, inde est quod ex tali euacuatione non resultet tolerantia. Si igitur expurgatio quæ bona est, conferentiam & tolerantiam inducit, ea proculdubio moderatę quantitatis esse debet; quantitas igitur debita sub conditionibus optimæ purgationis con-

22. aph. secundæ sect.

1. de morb. vulg. com. 2. tex. 45.

1. aph. sect. com. 23.

2. aph. primæ sect.

Vega defenditur.

tineatur necesse est; sicq; per talia, & qualia, quãtitatem etiam ab Hippocrate significari. Saluus verò hanc eruditissimi viri interpretationem redarguens, euacuationem totius puris in magno abscessu, aut aquæ in hydrope, nocere ait, non qualitatis, sed quantitatis ratione, faterurq; in bona euacuatione non solùm qualitatem humoris euacuandi, sed quãtitatem debitam esse considerandam, ægrotantis viribus prospiciendo, ne immodica humoris quantitate euacuata dissoluantur: sua igitur ratione conuinci debet, & dum alios accusat, reprehẽsione dignus efficitur. Nam si ad debitã purgationem fatetur vltra humoris qualitatem, seu speciem, necessariam esse moderatam eiusdem quantitatem, vt purgatio bene cedat, & conferat, atq; sequatur tolerantia; fateri etiam ipsum necesse est debitam humoris quantitatem contineri sub bonæ purgationis conditionibus (vt Vega interpretatur, & acutissime colligit) eamq; cõprehendi ab his, quæ ab Hippocrate per talia, & qualia significantur. Nam & si præcipuè in secundo aphorismo, per talia, & qualia intelligat qualitatem, hoc est speciem humoris vacuandi, vt Galenus inquit in commentario, & de quãtitate ex professo in tertio aphorismo pertractet, vbi de habitu exercitatorum qui ad summum deuenere incrementum sermonem facit: tamen sub ratione moderantiæ, vel immoderantiæ, quę in quãtitate humoris expurgãdi consideratur, optimo iure per talia, & qualia etiam significatur quantitas. Si enim humor qui euacuatur talis est quoad speciem, qualis desideratur pro euacuatione faciẽda, & ipsius quantitatis euacuatio a natura, vel arte cum tali moderatione fuerit, qualis requiritur pro virium conseruatione, statim sequitur conferentia, & tolerantia; & è cõuerso, si ex euacuatione videmus conferentiam, & tolerantiã fuisse subsequutam, illico iudicamus eius speciei humoris esse, qui noxam inferebat, & moderatę illius quantitatis. Ideoq; Galenus in vniuersum loquẽs de omni euacuatione uires ęgroti considerare iubet, & donec tolerant, nec laborant, tentandũ esse humorem exuperantem educere: Cum vero resoluuntur uires, etiam si restent aliquæ superfluitates, ab earum euacuatione

In expositione 2. aphor. 1. sect. f. 64.

In enarratione tertij aphor.

tione abstinẽdum. At Saluus aduersus dictam eruditissimi viri sententiam argumentatur in hunc modum. Si in secũdo aphorismo sub verbis talia, & qualia continerentur omnes conditiones ad debitam purgationem requisitæ, alij similes aphorismi essent superflui, velut aphorismus vigesimus quintus ab eodem Hippocrate in prima sectione propositus sub his verbis. Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt: si contra, difficulter, superfluus aparet, quia videtur eandem continere sententiam quam obtinet secũdus aphorismus eiusdem sectionis. At non esse superabundantẽ ex eo probare contendit quòd existimet in vtroq; aphorismo non eodem modo eandem contineri sententiam, dicẽs in secundo particulariter proferri de sola euacuãdorum qualitate: vniuersaliter verò in vigesimo quinto, de omnibus conditionibus ad optimam euacuationem requisitis. Sed iam ex ipsius dictis hominem cõuincamus. Nam si ex eo quòd in vigesimo quinto aphorismo Hippocrates dixerit, si qualia oportet purgari purgentur, cõfert, & facile ferunt: si contra, difficulter, colligit sententiam vniuersaliter protulisse, ita vt omnes conditiones optimæ purgationis ab arte factę sub illa comprehendi fateatur: qua ratione quæso, secundus aphorismus cum magis vniuersalis sit, easdẽ conditiones non continebit? Agit enim de purgationibus spõte factis, dum inquit, in perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, sin minus contra. Sicut autem Hippocrates semper adhortatur, vt quę rectè a natura fiunt medicus imitetur: ita ad imitationem purgationis, quæ a natura fit, eã, quæ arte ab illo efficitur moliendam esse affirmat, & nõ modò purgationem, verùm quamuis aliam euacuationem, ĩdeoq; dixit, in secunda parte aphorismi, sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant, sin minus, cõtra; Non solum igitur in dicto aphorismo agit de purgatione, quę fit a natura, sed de ea etiam, quam ars molitur, & de quauis alia euacuatione. Ergo hac ratione conuinci debet Saluus vniuersaliorem contineri sententiam in secundo aphorismo,

quàm

quàm contineatur in vigesimo quinto: quare cũ fateatur omnes conditiones ad debitam purgationem necessarias sub vigesimi quinti aphorismi sententia contineri, sub secundi etiam aphorismi sententia, optimo, & fortiori iure comprehendi, vt conuincatur necesse est. Neq; ob id sequitur vigesimum quintum aphorismum esse superabundantem, nam cum in præcedẽtibus Hippocrates egisset de purgatione, quæ arte fit, illum non piguit (vt Galenus refert) hunc quoq; aphorismum adiũgere. At si his rationibus non conuincitur Saluus, conuincatur dictis Galeni in commentario, dum inquit, non esse dubium hunc aphorismum in illo contineri, in quo dicebatur, in perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si qualia oportet purgari purgentur, cõfert, & facile tolerant, si verò nõ, contra, nihilq; magis nouum edoceri, sed ad memoriam reuocari ea, quæ priùs in alia libri parte enunciauerat de spontinis euacuationibus. Quare non erat vituperanda expositio ab illustri in re medica viro tradita, sed amplexanda potius, atque summopere laudanda.

In eiusdem aph. enarratione.

QVOD IN APHORISMO QVINTO PRIMAE sectionis Hippocratis mens non fuerit, in instituenda victus ratione si a iusto modo aberrandum sit, melius esse in acutorum morborum principio ad pleniorem victum inclinare, quam ad tenuiorem.

Depulsio tertia.



MANARDVS vir in re medica doctissimus, ideo victũ tenuem periculosum esse existimat, quia cum eum ægri difficulter ferant, absente medico sæpius crassiorem sumunt, tenui relicto, qui illis fuerat institutus: Cum enim difficilis sit, prębet ægrotantibus errandi occasionẽ, & eam ob causam Hippocratem dixisse asserit, in tenui victu ægri delinquunt. Per quæ verba non intendit significare, per se tenuem victum in morbis, quibus conuenit, esse periculosũ, ideoq;

ideoq; ægrotantes in eo errare: sed potius, quia ægri in eo errant dum illum non obseruant in crassiorem victum se conferentes, ob eam rem periculosum tenuem victum Hippocrates nominauit. Nisi enim errarent ægrotantes ad crassiorem se cōuertentes, nullum in tenui esset periculum a medico probè instituto, quia vero errant, ideo periculosior duplici de causa cēsetur: tum quod virtus imbecillis reddita ex tenui victu, crassiorem conficere nequit: tum etiam, quia ad inconsueta fit trāsitus, sicq; cum error ex parte ęgrotātium committitur, maior fit ob dictas causas præcedente tenui victu, quàm dum præcedit paulò plenior. Comparat enim Hippocrates errata ægrotātium in vtriusq; victus constitutione, & tenuioris, & paulò crassioris: plenioris, quando vtuntur crassiori victu medico inscientе, & inquit magis lædi quando præcedit tenuis victus, minus verò, quando præcedit paulo plenior. Neq; ob id sequitur illū voluisse significare in dicto aphorismo, si in principio morborum acutorum in instituendo victu, a iusto modo discendēdum sit, melius fore eo in tempore ad pleniorem, quàm ad tenuiorem nos conuertere, vt superueniente vigore possimus quantum expedit attenuare. Quæ sententia Salui est, non tamen ad aphorismi propositum: nam cum totius victus ratio in vnoquoq; morbo a duabus intentionibus sumatur, ex futuro totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis, & in vigore dicat Hippocrates tenuissimo victu vtendum esse, eo quòd circa morbi coctionem natura tunc maxime versetur, & non oporteat eam distrahere ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore, humorum morbum facientium coctioni fortiter intendat, quæ paulòpost ipsos est euictura: ideo consuluit perpendere an ęger cum victu constituto possit perdurare vsq; ad morbi statum, vel an vires prius deficiant quàm vigor accedat, aut morbus finiatur antequàm vires sint labefactatæ: nam ratione virium nutriuntur ægri, vt Galenus refert, non autem morbi causa: cum enim vis ita robusta fuerit, vt speremus eam perdurare posse totum tempus intermedium vsq; ad summum morbi vigorem cum tenui victu, paulatim ipsum minuendo vsque ad

Victus ratio ex morbi uigore, et viribus sumitur. aph. 8. sect. primæ.

aph. 9.

Com. dicti aph.

ad statum, obseruandus quidem a principio tenuis victus est: quòd si imbecillior extiterit, adijciendum est aliquid victui, & tantò plenior a principio exhibendus quantò imbecillitas postulat: eamq; ob causam Hippocrates concludit, quibus statim morbus consistit, ijs statim tenuem victum esse exhibendũ, quibus autem posteriùs debet consistere, ijs & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibum subtrahendum, priùs verò, idest in principio, vberiori victu vtendũ, vt æger sufficiat, quibus verbis manifestissimè monstratur, vires metiendas esse respectu status morbi, sicq; in breuiori, quæ suffecerint cũ certa victus mensura, cum eadem non sufficient in longiori: quarè cum morbus fuerit longior, pleniori victu vtendum erit in principio pro longitudinis ratione, & cum in statu cibus subtrahendus sit, nullum est dubium quin in morbi principio vberior sit futurus, quàm prope statum, vel in ipso statu. Non igitur Hippocrates in quinto aphorismo significare voluit quòd in morborum principio si a iusto modo in constituenda victus ratione declinandum sit, minus peccatum fore vti eo tempore pleniori victu, quàm tenuiore, si enim magis tenui, quàm par sit in principio vtamur, ita vt virtus non possit durare vsq; ad statum, nobis etiã inuitis cogemur in vigore, vel parũ ante vigorem pleniori victu vti, quando ab illo erat abstinendum, quo tempore quæ per cibum fiunt errata grauiora sunt. Hæc autem Salui expositio multùm distat ab Hippocratis mente, qui in dicto aphorismo, non de medicorum, sed de ægrotantium erroribus agit, præsupponit enim medicum rectè constituisse normam & regulam tenuis victus in ægro laborante acuto morbo, cui talis victus ratio conuenit, cum qua ad statum vsq; possint vires perdurare, etiam subtrahendo cibum parum ante statum, & in ipso statu; æger tamen medico parum obediens, sua sponte, aut assistentium monitis tãdem crassiori victu vtens, peccatum committit, & fit error, non quidem interim dum obseruabat tenuem victum præscriptum, sed quãdo nolens illum ferre, crassiorem sumit; tuncq; maior fit quàm si transiret a palulo pleniori cibo ad crassiorem, quia virtus imbecillis

10. aph. eiusdem sect.

In expositione 5. apho. 1. sect. f. 97.

becillis ex tenuiori transiens ad crassiorem non potest tantum alimenti pondus ferre, neq; concoquere aut transmutare, & natura extremam illam mutationem a tenui ad crassum tanquam inconsuetã abhorret, eo modo quo sani qui sobrij sunt, & temperati circa cibos, & debitè cõstitutam habent victus rationem, si semel in conuiuijs crassiorem victum assumant, grauius ferunt errorem commissum, quàm qui non ita temperatè vitam degunt, & pleniori victu vti solent, tum quòd imbecilliores sint, tum quia maiorem subeant mutationem. Vult igitur significare Hippocrates, quod maior committitur error ab ægrotantibus quando debitè constituto tenui victu se conferunt ad crassum, quàm dum signato paulò pleniori pro ratione morbi longioris, similiter ad crassum victum se conuertũt: nec eam ob causam vituperat tenuem victum ĩ morbis quibus conuenit, aut illi præfert paulò pleniorem. Et multò minus vult ostendere, aut significare, si a iusto modo aberrandum sit in instituendo victu, in morborum acutorum initijs, errorem per crassitiem incolumiorem esse eo, qui per tenuitatem fit, vt opinatus est Saluus: cum planè constet Hippocratis mentem fuisse quod tenuis victus seruandus in acutis morbis eget diligentia, atque prudentia medici, & obedientia ægri, nam si cõtingat, vel ex ægri intemperantia, vel assistentium consilio ipsum ęgrum cibum crassum sumere, maximè periclitabitur, tum quia mutatur ad inconsuetum victum, tum quia contraxit imbecillitatem ex tenui. Hanc autem expositionem quam Manardus, & Musa, doctissimè proposuere si Saluus oculatius perspexisset, non posse Hippocratis, ac Galeni verbis adaptari, dicere erubuisset, cum sua non modò eorum sententiæ dicto aphorismo non respondeat, verùm a rei veritate longe distet. Siquidem certissimum est erratum victus per tenuitatem esse incolumius in acutorum morborum principijs, quàm per crassitiem, dicente Hippocrate secundo de ratione victus, ciborũ adiectioni intendendũ multo minus, subtractioni verò magis, cũ æger sufficere possit donec morbus maturescat, & referente Galeno in singulis victus formis quantitatem reperiendam esse: Cum enim

4. epist. epist. 2.

Tex. 37.

enim præsidiorum singulorum quantitas artificiosa coniectura acquiratur, & artificiosè conijcere viri sit, qui vires omniū, quæ in arte sunt didicerit, memoriæ mandauerit, atq; diligentia omni adhibita sese in operibus artus exercuerit, paucíq; tales existant, iure optimo inquit Hippocratem adscripsisse, in quantitate ipsa ad id, quod minus sit procedendum esse magis, quàm ad id, quod exuperat, vbi quis a iusto modo abscedit, nam quod plus est, exuperatq; noxas interdum inemendabiles facit, verùm quod minus est facile emendatur, si enim virtus elabi videatur, cibi exiguum ministrare possumus: verū si in ventrē absortus fuerit cibus, quod redundat, superfluitq; si aliàs multo magis in acutis morbis tollere est difficile. Quib⁹ verbis Galenus e diametro Salui sententię repugnat. Præterea Hippocrates medicum calumniam effugere non posse existimat, qui vires ob laborem, morbiq; acumen imbecilles, ex vasorum inanitione tales fieri arbitratus, copioso victu fouerit, eas verò, quæ imbecillitatem patiuntur ob vasorum inanitionem, credens ex morbi vehemētia labefactari, tenui victu presserit, periculum siquidem affert erratum per tenuem victum in viribus ob inanitionem offensis, & per crassum in labefactatis ob laborem expondere, & magnitudine morbi, cæterum minus periculum est euacuare eos, qui indigent repletione, quā replere eos, qui euacuationem desiderant: vt enim Galenus inquit, qui cibum exhibet ijs, quibus vires expondere laborant, maximum affert detrimentum: verū qui ex vasorum inanitione imbecilles sunt, hos siquis diæta tenui presserit, lædet: quāquā non ęque euidenter, vel celeriter. Melius igitur est ad Hippocratis, & Galeni mentem in acutis morbis, si a principio discedendum sit a iusto modo victus, errare potiùs per tenuitatem, quàm per crassitiem: præsertim quod indicatio, quæ sumitur ab acuto morbo est validissima ad abstinentiam, indicatio verò ab imbecillitate ad cibationem, in acutis est minima, quia vires valent, & quando non valerent, oblato paulò pleniori cibo refici possunt ante statum, ergo maius erit periculū ex errato per cibi crassioris exhibitionē quam per abstinentiā.

Tex. 48.

In com. eiusdem tex. 48

Cęte-

Cæterum Saluo errandi occasionem præbuere Hippocratis, & Galeni auctoritates perperam ab ipso intellectæ, quādo enim Hippocrates dixit melius esse protinus a morbi initio sorbere incipere, quàm inanitis, vacuatisq; venis, vel die tertio, vel quarto, vel quinto, vel sexto, vel septimo, si morbus ante hoc tempus haudquaquam iudicatus fuerit, sorbitionem inchoare: nihil aliud (vt Galenus explicat) significare voluit, quàm quod in aphorismis præceperat, nempe in omnis morbi vigore tenuissimo victu vtendum esse, quod si gratia exempli quinta die morbi vigor futurus sit, & æger solo vsus potu sufficere non possit, fore melius si protinus ab initio ptisanam medicus dederit, & nec die tertio, aut quarto sorbitionem inchoauerit, aut si ante septimum morbus nō fuerit iudicatus, similiter melius efficiet, si a principio paulò crassiori victu vtatur, & circa statum tenuiori, quoniam in statu ipso tenuissimo victu vtendum est. Hoc autem est docere respectu status morbi, a principio crassiorem victus rationem statuēdam esse, circa statum verò, multò tenuiorem, quoniam in ipso statu tenuissima requiritur: sicque vbi ægri vires seruari possint vsque ad statum sola sorbitione, melius erit a principio eam præbere, & in statu abstinere omnino, quàm primis diebus extrema vti abstinētia, & circa statum sorbitionem dare: at hoc non est committere peccatum in principio morbi acuti, inclinando ad magis plenum victum quàm expediat, neque id consuluit Hippocrates: sed velle dūtaxat ostendere, oportere victum in principio desiderari pleniorem, circa statum verò, tenuiorem, & in ipso statu tenuissimum: ideoq; Galenus dixit, rectè Hippocratem consuluisse, non licere in morborum acutorum principijs intempestiue, neq; vehementer ægros fame necare, neq; in morborum consistentijs, victum ex inedia ad cibi oblationem permutare, sicut nec subito ad contrarium transire: quod nostræ non contradicit sententiæ, neque reliquæ authoritates, quæ a Saluo traduntur, suam comprobant, quin potius propositę a nobis fauorem inducere notius apparet, quàm vt declaratio ne indigeat: in omnibus enim fit comparatio temporis exhibē

2. de rat. uict. tex. 15

Com. 32. li. 2. de rat. vict.

Vt liquet tex. 40. & 41.

di victũ in morbi principio, & circa statum, qui enim per morbi acuti exordia eodẽ, quo laborarunt die comederunt (vt Hippocrates inquit) deterius fecerunt quàm si modo alio cibarentur, debitè scilicet in principio constituto victu, & nõ pleniori quàm expediat: sed quæ hoc tempore peccata fiunt per crassiorem victum multò minus lædere affirmat, quàm in primis quidem diebus, vel duobus, aut tribus vasa integre exinaniuerit, idest extreme tenui victu vsus fuerit, mox quarto, vel quinto crassum victum ministrauerit, & multò deterius si ministratio cibi crassioris post extremum victum fiat vltimis, & sequentibus diebus propè statum priusquàm morbus maturescat, hoc enim tẽpore crassus cibus mortẽ plurimis liquidò affert, quia quæ in principio committuntur delicta per victus crassitiẽ meliùs a medicis corriguntur, quàm ea, quæ propè statum, vel in ipso statu cõmitti solent: Galenus autem in commẽtario nihil aliud Hippocratem monstrasse ait, quàm neq; a principio, neq; primis diebus fame cruciandos ægros fore, ne cogantur medici propè vigorem eosdem languentes replere, quòd grauior cõtingat offensa cum propè vigorem erratum sit per victus crassitiem, quàm si in morborum principijs quidpiam delinquatur. Quoniam tamẽ hęc malè intellexit Saluus in errorem incidit, existimans Hippocratem, & Galenũ citatis locis voluisse significare si errandum sit in morborum principijs in instituenda victus ratione, satius esse inclinare ad paulò pleniorem victum, quàm ad tenuiorem: fallitur tamen, quoniam ab ipsis fit duorum errorum per crassitiem comparatio, eius qui in principio morbi fit, & eius qui propè vigorem, affirmantq; maius erratũ esse, quod per crassiorem victum committitur propè vigorem, quàm quod in morbi initio fit per eundem crassiorem victum, non tamen inde colligitur, si errandũ sit in initio morbi acuti, minorem errorem committi per crassiorem cibũ, quàm per tenuiorẽ, hac enim ratione Hippocrates, & Galenus sibi ipsis contradicerent, qui subtractioni intendendũ magis dixerunt, quã adiectioni, quoniam imbecillitas, quæ in principio cõtrahitur per paulò debiliorem victum resarciri potest paulò pleniori ex

bibito

bito ante morbi vigorem, vt ex Galeno tradidimus. Neq; valet quòd si periculosiùs errat æger in tenui victu, quàm in paulò pleniori, eam ob causam non seruandum esse tenuem, nā multa periculosa ob maximam vtilitatem cautè tētantur, alioquin neq; venæsectione, neq; expurganti medicamēto validiori vteremur, & multò minus extrema diæta, sicque extremis morbis extrema exquisitè remedia non conuenirent. Sed quid mirum est quòd Saluus malè intellexerit Hippocratis, & Galeni dicta locis citatis, cum comitem habeat Bernardinum lōgum virum magni nominis apud Neapolitanos medicos? qui dum mense excellentissimi proregis mecum adesset, mota dubitatione ab Illustrissimo Comite de Haro, vtrū in morbis acutis satius esset statim inclinare ad crassiorem, quàm ad tenuiorem victum, nō modo aphorismum quintū primæ sectionis interpretans, Hippocratis, & Galeni mentem non percepit, sed magna cum sui confidentia tutius fore ad pleniorem victum, quàm ad tenuiorem inclinare in acutorum morborum initijs per dictum aphorismum Hippocratē consuluisse affirmauit: Cum verò illi proponerem Hippocratis sententiam a nobis antea connumeratam, qua inquit ciborū adiectioni intendendum multò minus, subtractioni verò magis, & Galeni similiter dū asserit, iure optimo Hippocratem adscripsisse in quantitate cibi exhibendi in acutis morbis ad id, quod minus sit procedendum esse magis, quàm ad id, quod exuperat vbi quis a iusto modo victus abscedit, nam quod plus est, exuperatq;, noxas interdum inemendabiles facit, verùm quod minus est facilè emendatur, si enim virtus elabi videatur, cibi exiguum administrare possumus, dictas sententias nunquàm Hippocratem, & Galenum protulisse, contentiosè asseruit: quamobrem magis errauit, quàm Saluus qui prædictas authoritates perlegit, & proposuit, licèt non ritè explicauerit, & ad authorum mentem. Sed iam tempus est, vt tertiæ huic depulsioni finem imponamus.

2. acutorū com. 37.

2. de vict. rat. com. 37

Eodē com.

Quod

QVOD IN SEPTIMO APHORISMO PRIMAE sectionis significauerit Hippocrates per morbum peracutum, non eum solum, qui primo quaternario terminatur, sed illum etiam qui ad septimum vsq; extenditur.

Depulsio quarta.

1. prog. com. 25.

Breues morbi qui sint.



ORBOS omnes ex temporis mensura in breues, longos, & medios diuidi Galenus est author. Breues illi dicuntur, qui breui temporis curriculo terminantur; ita vt non excedant decimum quartum diem, tanquam vltimum terminum morborum acutorum, qui verè sub breuibus morbis continentur, nam dum morbus quiuis excedit decimum quartum, iam breuis nomen amittit: longi verò illi morbi appellantur, qui transcendunt quadragesimum: medij autem, qui ex acutorum termino in quadragesimum vsque extenduntur. Rursus, breues morbi aut cum magnitudine, & acutie sunt, aut citra magnitudinem, & acuitatem; Cum magnitudine, & acuitate sunt, qui breui terminantur, & in quibus citissime pericula adueniunt, breuis autem eorum terminatio significatur, ea quæ decimum quartum non transcendit diem, qui terminus vltimus est breuiũ morborum, & eam ob rē acuti morbi cum breues nominentur, decimum quartum non transcendunt, ideoq; Hippocrates dixit, acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur; citra magnitudinem autem, & acuitatem breues illi sunt morbi, qui etiam si celeriter moueantur, non sunt magni, nec in eis citissime pericula aduenire videntur, ideoq; non appellantur acuti: quemadmodum febres sinochæ ex sanguinis inflammatione obortæ (quas simplicissimas, & signis firmatas securissimis Hippocrates nominat, & quarto die, aut citius desinere docet, ob celerem, ac breuẽ motum) quæ cum magnitudine, & acutie careant, in eisq; nullum immineat periculum, acutę ægritudines dici non possunt. Has quidem febres Galenus placidissimas appellat, ac mitissimas, haud quaquam maleficas, & quoties securitatis inditia exti-

Lõgi morbi qui dicãtur.

Medij morbi inter breues et lõgos.

Qui sũt mõrbi acuti.

2. aph. com. 25.

2. aph. sect. 23.

Febres synochæ ex inflãmatione sanguinis non sunt acutæ.

3. prog. cõ. 2

in com. dicti prog.

extiterunt, vltra primum quaternarium nequaquàm procedere, sed aut quarto die, aut citius desinere dicit: pari modo, maleficas quoq; febres, & cũ inditijs exitiosis factas, quæ propter citissimum periculum magnam habent acutiem, quarto die, aut citius interimere asserit. Acuties igitur, ex periculo, & motus celeritate sumitur, breuitas vero, ex sola celeritate citra periculum; quam ob rem quicunq; morbus acutus est, vt breuis etiam sit necesse est, non ẽ cõtra tamen, qui breuis est, is vt acutius sit oporter, dicẽte Galeno de acutis morbis, qui cum febre fiũt, morbum acutum eum esse, qui cum magnitudine quadã, ac continuitate febris demonstratur, & ideo febris synochus citra putredinem cum magnitudinem non habeat, sed potius omni vacet periculo, & quarto die, aut citius desinat, iure optimo propriè breuis dicetur morbus, acutus autem, aut dicendus omnino non est, aut si aliquando talis nominetur, impropriè fit, & tantum quoad motus celeritatem sic nuncupabitur, non minus quàm ephemera febris, quæ citissime terminatur, periculo tamen omnino caret, ideoq; acutus morbus non est. Breuis igitur morbus, qui cum magnitudine, & acutie procedit, acutus ab Hippocrate nuncupatur, & ab eodẽ in quatuordecim diebus iudicari dicitur: vt enim Galenus exponit, in lõgum tempus iudicationem differri in acutis morbis fieri nõ potest, ob morborum magnitudinem, & casuum vehementiam, ideoq; Hippocrates terminum in omnibus posuit duas septimanas, tanquam nullus eorum vlterius progrediatur, verùm ante quartum decimum multi possunt iudicari. Qua ratione, maiorem habebit acutiem acutus morbus, quò celeriori motu per eius tempora mouebitur, & ideo idem Hippocrates acutum morbum, aut simpliciter acutum nominat, cum ad duas septimanas extenditur, aut peracutum, cum ad vnam vsq; terminatur, & quemadmodum simpliciter acutus, ita nominatur, qui finitur decimoquarto, sicut qui vndecimo terminatur, sic cum additione peracutus dicitur, qui integram percurrit septimanã, similiter ac ille, qui quatuor primis diebus finitur, neq; alio Hippocrates nomine vnquam nominauit peracutum, qui

Acuties ex periculo & motus celeritate sumitur.

3. prog. cõ. x. et 1. prog. 25.

2. aph. 23.

Simpliciter acutus morbus.

Peracutus morbus.

primo quaternione, quàm qui septem diebus terminatur: quẽadmodum nec simpliciter acutum, cuius terminus est decimus quartus dies, alio nomine nuncupauit, quàm eum, qui non transcendit vndecimum, vterq; enim acutus simpliciter dicitur ab Hippocrate, & Galeno; licet vnus terminetur vndecimo, alter verò decimoquarto: pari ratione vterque simpliciter peracutus morbus nuncupatur, & qui septimo die, & qui primo quaternario finitur: & quemadmodum in simpliciter acutis, acutior est qui breuiori tempore finitur, nempè vndecimo per tres quaterniones, quàm qui tardiori, scilicet decimo quarto, per duas septimanas: sic in peracutis peracutior est qui non trãscendit primũ quaternionem, eo qui extenditur ad duos, idest ad integram septimanam, quæ terminus est peracutorum morborum. Ideoq; Hippocrates, extremis morbis extrema exquisitè remedia optima fore, prima aphorismorum sectione affirmauit, & Galenus in commentario extremos morbos Hippocratem nominasse summos asseruit, vltra quos non sunt alij, præcepisseq; in ipsis tota curatione exquisitissima nos vti, exhibendo quoq; tenuissimum victum, tales autẽ prorsus esse morbos peracutos, de quibus Hippocrates scripsit integrum aphorismũ septimũ in hæc verba. Vbi igitur morbus peracutus est, statim & extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est: vbi verò non, sed pleniorem victum cõtingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantò morbus extremis est mollior, quasi dicat, quod morbus peracutus quia statim extremos habet labores, idest, quia statim viget in quarto, vel in septimo die, qui vltimus terminus est peracutorũ, ideo tenuissimum victum desiderat. Per verbum enim statim intellexit Hippocrates (vt Galenus inquit) circa primos quatuor dies, vel paulò vlterius, idest vsq; ad septimum, consistit enim in suo vigore peracutus morbus, vel in quarto, vel in septimo, quia in his diebus extremos habet labores, vltra quos nõ sunt alij maiores: quod cõfirmant illius verba in hunc modũ. Nunc verò tantùm hoc docuisse sufficiat, in omnibus morbis, in quibus summus vigor, & iudicatio primis quatuor diebus futura est,

Aph. 6.

Com. super aph. 4. primæ sect.

est, modo vires sint fortiores, integram inediam seruandam esse, quæ est in extremo tenuissimus victus, in quibus verò nõ vltra primam septimanam protrahetur, fortibus existentibus viribus, solo melicrato vti sufficiet, solus autem hic victus tenuissimus esset, non tamen in extremo, in quibus manifestum sit Hippocratem, per morbum peracutum intellexisse in aphorismo, eum, qui in quarto, vel in septimo summum habet vigorem, in vtroq; enim tenuissimus desideratur victus, quia status propè est, licet non ita exactè tenuissimus in peracuto, qui viget in septimo, ac in illo cuius sũmus vigor quartus est dies: quemadmodum in simpliciter acutis, qui decimo quarto finiuntur tenuis conuenit victus, sicut & ijs, qui terminantur in vndecimo, & si magis tenuis desideretur in eo, qui vndecimo, quàm qui decimo quarto terminatur: eamq; ob causam Hippocrates dixit peracutis morbis conuenire tenuem victũ, his verbis, quibus igitur statim morbus consistit, ij etiam statim tenuis victus exhibẽdus est, tenuem autem victum vocauit Galenus ptisanæ succum, quo tenuius est melicratum, cum quo per integram septimanam durare posse eum, qui peracuto morbo laborat asseruit, si vires fuerint validiores. Per verbum igitur statim intellexit Hippocrates, vel circa primos quatuor dies, vel circa septimum, ad quem vsque diem peracutus morbus extenditur: idq; magis confirmat Galenus in commẽtario dicti aphorismi septimi dum inquit, in quibus verò morbi vigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor diebus, vel paulò vlterius, vt supra exposuit (quod idem est, ac si diceret vsq; ad septimum, in quo morbus peracutus terminatur) in ijs possumus victu extremè tenuissimo vti cũ vires tolerent, & inediam omnimodam, & solius melicrati exhibitionem, & ptisanæ succum paucum omnino, deinde addit, talis quidem tenuissimus est victus: qui verò hoc minus tenuis existit, quem etiam pleniorem nominauit Hippocrates, illis conuenit morbis qui posterius debent in suo vigore consistere, idest, post septimum diem, in vndecimo exempli gratia, vel decimo quarto, in quibus præcipit tantũ a victus tenuitate declinare, quan

10. aph. 1. sect.

Com. 4. in 4. aph. primæ sect.

D tum

tum morbus ab extremis recedit, hoc est, a vigore summo, hoc enim proximo existente, minus plenum victum afferemus, lõgius verò distante, magis plenum, & quanto tardiorẽ forè summum morbi vigorem expectabimus, tantum & victus formam commutabimus. Optime igitur Antonius Musa in expositione septimi aphorismi, per morbum peracutum intellexit eum, qui quarto, & qui septimo terminatur, & de illis verbũ statim proferri significauit, ob rationes a nobis propositas: quẽ Saluus damnat, contendens per morbum peracutum tantum in dicto aphorismo Hippocratem intellexisse eũ, qui quarto die terminatur, idq; ex eo quia dicat, statim extremos habere labores, & per verbum statim, Galenũ intellexisse, circa primos quatuor dies, vel paulò vlterius, exponens per paulò vlterius, significasse diem quintum, qui statim sequitur post quartum. Verùm nulla est ratio propter quam significet quintum diem potius, quàm septimum, vterq; enim per paulò vlterius compræhendi potest, cum omnes dies peracutorum morborũ sub septimo cõtineantur: imo si Galenus voluisset significare quintum diem post quartum, non significasset per verbum, vel paulò vlterius, sed potius dixisset, circa primos quatuor dies, vel sequenti, quintus enim dies sequitur post quartum, septimus verò est paulò vlterius a quarto: præter quã quod nullatenus (vt ipse opinatur) per paulò vlterius intellexit Galenus diem quintum, quia morbi ex peracutis, qui debent terminari quarta die, vt plurimum terminentur tertia, vel quinta, referente Galeno tertio de crisibus, cap. 4. nam ex sua natura semper in primo quaternione debent finiri: febres enim, siue quis ab his euadat, siue pereat, pari dierum numero iudicantur, vt Hippocrates refert in libro presagiorum tertio, deinde oẽs inquit, quæ benignissimæ sunt, & signis fulciuntur firmissimis, quarto die, vel ante iudicantur, ac postea: & malignissimæ, & quibus periculosa adsunt signa, die quarta, aut citius perimunt: quod si aliquando huiusmodi febres finiantur in quinta, non contingit ex natura morbi, & ex vera sui acuitate, dicente Hippocrate primo de morbis vulgaribus in historia Erasini, & Galeno in

In com. 7. aph. 1. sect. aph. f. 104.

Tex. 1. et 2.

Parte 3. te. 25.

no in commentario, quod Erasinus quanquam omnia grauia haberet, ad diem tamen quintam mortem produxit, quod diē primam placidè, & cum quiete tulit, quatuor autem reliquis, & fortis morbus fuit, & in ipsis iudicatus, quintus igitur ab initio, quo ægrotauit, nō adnumerato primo, quartus efficitur. Terminus ergo morborum acutorum ex diebus afflictionis, ac vehementiæ venit difiniendus, hac enim ratione Galenus declarans Hippocratis sententiā, qua acutos morbos in quatuordecim diebus terminari affirmat, nullum vnquam inuentum esse a principio velociter motum asserit, qui hunc transgrediatur terminum, sicut quidam leues ac parui circa primos dies existentes, quarto die, aut quinto, acuti fieri incipientes, ad decimum septimum terminarunt: alij verò sexto, aut septimo die exacui incipientes, ad vigesimū terminarunt, adeò vt morbi continui acuties nunquam possit plures, quàm quatuordecim obtinere dies: quamobrem & si morbus peracutus, qui ex natura sua terminari debebat quarto die, terminetur in quinto, non ob id deest terminari in quarto, quoniam quatuor dies afflictionis sunt, qui cōsiderantur in primo quaternario, non numeratur enim primus dies, quia placidè, & cum quiete transfigitur, vt ex Erasini historia liquet. Primus enim impetus acutissimi morbi quartus semper est dies, quem si transcendat, accedit secundus impetus numerandus in septimo, sicq; per quaternarios fit diuisio, vt manifestè ostendit Hippocrates: impetus autem hostium, aut latronum dici solet ab authoribus, ex quo Hippocrates transtulit appellationem ad circuitionem decretorium dierum, quare etiam si peracutus morbus terminetur aliquando quinto die, solum impetus primus morbi circa quatuor vltimos dies fit, & non paulò vlterius, quia finitis quatuor diebus vehementiæ, sequitur secundus impetus vsque in septimum. Ex quibus manifestè colligitur, cum Hippocrates dixit, vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, per verbum statim intellexisse non solum primos quatuor dies vehementię morbi peracuti, quibus primus finitur impetus suæ peracutiei, (vt ita loquar)

In enarratione 23. aph. 2. sect.

3. prog. tex. 3.

Refert Gal. 1 com. dictæ sententiæ.

sed paulò vlterius vt Galenus refert, id est vsque ad secundum impetum eiusdem peracutiei, qui in septimo terminatur, & nō longè distat a quarto, vel quinto, in quibus primus eiusdem peracuti morbi impetus fuit terminatus. Et hæc vera, atque genuina est interpretatio mentis Hippocratis, quam Brasauolus pulchrè insinuauit, cum per morbum peracutum ipsum intellexisse asseruit, non eum modo, qui quatuor diebus, sed illum etiam, qui septem terminatur: quoniam vero aliæ rationes, quibus Saluus nititur tanti viri damnare sentētiam, nihil concludunt, eas libens prætermitto. Sic igitur debet aphorismus interpretari. Vbi morbus peracutus est, statim, scilicet die quarto, quo finitur primus morbi impetus, vel paulò vlterius, id est die septimo, quo terminatur secūdus impetus, habet extremos labores, videlicet statum, & summum vigorem cū grauissimis symptomatibus, & tunc extremè tenuissimo victu vtēdum est modo id liceat per vires, & ætatē ægrotantis: vbi vero non est, peracutus morbus, sed tantum acutus, vel longus, & pleniorem victum cōtingit adhibere, quia status longius abest, tantū cibi indulgendum est, tantoque plenior victus adhibendus, quanto morbus acutus, vel longus, extremis est mollior, & a vigore recedit. Eandem aphoristicam sententiam proposuit Hippocrates, dum dixit, quibus igitur statim morbus consistit ijs etiam statim tenuis victus adhibendus est: quibus vero posterius debet consistere, ijs & in ipso consistendi tempore, & parū ante illud cibus subtrahendus: prius vero vberior victus exhibendus est, vt æger sufficiat, vterque enim aphorismus (vt rectè exponit Brasauolus) idem prorsus significat, licet in septimo eam sententiam sub particulari ratione acutorum morborum Hippocrates proposuerit, ex qua vniuersalem doctrinam in omnibus alijs tam acutis, quàm longis intulit: in decimo vero sub ratione vniuersali, vniuersalem victitandi methodum insinuauerit. Valeat igitur Saluus, qui cum ægregij viri sententiam vituperat, non alia ratione nititur, quàm Galeni authoritate ab ipso male intellecta, qua inquit in septimo aphorismo Hippocratem dixisse, in peracutis morbis statim tenuissimo victu:

Septima primæ sect.

Prima sect. aph. aph. 10.

ctu vti oportere, in decimo vero, de omnibus simpliciter morbis eandem sententiam pronunciasse. Verum si perpendat Galeni verba in enarratione decimi aphorismi, inueniet eandem eum habere sententiam cum priori, eundemque pariter sermonem, nisi quod est illo vniuersalior, ex eo quod cum septimo aphorismo ex professo, & particulatim agat de peracutis morbis, qui ad septimum vsque extenduntur, & de victu, quem respectu sui status desiderant, ex consequenti in secunda aphorismi parte vniuersalem infert rationem victus in alijs morbis a peracutis, consideratis eorum summis vigoribus: at in decimo aphorismo vniuersalem cibandi methodum in omnibus morborum generibus proponit, non habita priuatim ratione peracutorum magis, quam aliorum, & eam ob causam Galen⁹ dixit, eandem hunc decimum aphorismum habere sentētiam cum priori, licet sub ratione proferendi differant, quocunque enim modo proferantur, eidem hærere sententiæ affirmat. Nam vt idem Galenus exposuit quanto tardiorem fore summum morbi vigorem spectabimus, tantum & victus formam commutabimus, quod non alia ratione dixit, nisi quia vniuersalis victandi methodus in omnibus morbis ex particulari acutorum infertur. Sic igitur Brasauolus ad Hippocratis, & Galeni mentem, per statim consistere in aphorismi decimi expositione, intellexit summos habere labores: nā in peracutis morbis, in quibus oportet vti tenui victus ratione, propè est status, quoniam non extenduntur ultra septimum, & sic propè etiam sunt labores extremi. Habere enim statim extremos labores, & statim consistere, in peracutis morbis conuertuntur, ita ut ab uno ad alium ualeat consequentia, si enim peracutus morbus statim consistit, statim etiam in eo extremi labores sunt, & similiter si in eo extremi labores reperiuntur, statim consistere necesse est: Hippocrates enim, & Galenus, agunt de ratione uict⁹ in acutis, non autem in breuibus morbis, qui sunt citra acutiē, ut enim diximus, acutus morbus uere magnus morb⁹ est, quia cito terminatur, & in eo breuiter pericula adueniunt, ephimera autem, & exquisita tertiana, licet citissime terminentur, & consistant,

In enarratione septima aphori.

consistant, non ob id citissime extremos habent labores, quia morbi magni non sunt, & ob id in illis non valet conuersio. Præterea indicatio à distantia status ad victus rationem annectit etiam dispositionem morbi, sicq; a morbo peracuto sumitur indicatio ad victum tenuissimum, non a morbo breuissimi temporis: morbus enim acutus cum magnitudine quadam, ac continuitate febris intelligitur, si verò non ita sit (vt Galenus asserit) quanquam circa quartum decimũ soluatur diem, aut etiam citius, eiusdẽ appellationis nequaquam erit, sed breuis morbus solum nominabitur. Cum igitur in peracutis morbis, idem prorsus sit, statim consistere, & statim extremos habere labores, hac ratione Brasauolus a Salui calumnia vendicatur, nõ enim ex eo quod existimauerit acutorum morborum eos, qui statim consistunt, alios non esse quam peracutos, sequitur illũ breues morbos (quia statim consistunt) pro peracutis etiam reputasse, qui probè cognouisset, alios cum periculo, alios vero citra periculum semper deprehendi, & aliud esse statim consistere cum periculo, aut sine illo: cum igitur Brasauolus loquatur de morbis acutis, bene intulit, eos qui statim cõsistunt peracutos esse. Neque etiam aduersus eius opinionem, qua existimat Hippocratem in decimo aphorismo eandem proferre sententiam circa victus exhibitionem, quam septimo proposuerat, quicquam conuincunt Salui rationes in cõtrarium adductæ, siquidem non ob id decimum aphorismum a septimo differre credendum est, quod in septimo, in peracutis statim extremè tenuissimo victu vtendum Hippocrates dixerit, in decimo vero statim tenuem victum fore exhibendum: nam cum Saluus fateatur tenuem victum tanquam genus esse ad omnes victus tenues, & tenuissimos, exquisitos, & non exquisitos, proculdubio concedere debet Hippocratem per tenuem victum eius speciem significasse, quæ morbis his, qui statim consistunt debetur, idest peracutis. Multo minus etiam dicti aphorismi inter se differunt, quòd in septimo (vbi agit Hippocrates de peracutis morbis) dixerit, in statu extremè tenuissimo victu vtendum esse, in decimo vero cibum esse subtrahendum in vigore

A morbo peracuto non a morbo breuissimi tẽporis, sumitur indicatio ad victum tenuissimum.

tertio prog. com. 10.

Brasauolus vendicatur a calumnia Salui.

prima sect. apho,

cuiusuis

cuiusuis morbi: quoniam si Saluus veram dicti aphorismi expositionem velit perpendere, inueniet profectò primam eius partem respondere priori septimi aphorismi, & postremã, posteriori, eandemq; prorsus referre sententiã. Inquit enim Hippocrates in decimo aphorismo. Quibus igitur statim, hoc est primis quatuor diebus, vel paulo post, idest vsq; in septimum morbus consistit, & rigor adest, vt in peracutis, ijs statim, & circa principia tenuis victus exhibendus est, quo victus genere in ipso statu etiam vtimur: quibus vero posterius debet consistere, & non statim in primo quaternione, vel die septima vigor futurus est, ijs & in ipso consistendi tempore, ipsoq; vigore, & paulò ante illud tempus cibus subtrahendus, vt natura coctioni humorum nocentium vacare possit: prius vero vberius agẽdum, & nutriendum plenius, vt æger sufficiat, idest, persistere possit vsq; ad summũ morbi vigorem, in quo tenuis victus adhibendus est: quod si ad literam interpretetur septimus aphorismus, eandem omnino repræsentabit sententiam. Solum igitur differunt dicti aphorismi vt diximus, ꝙ septimus sub particulari ratione de peracutis agens, in secunda parte infert rõnẽ vniuersalẽ victus in morbis quibusuis exhibendi, decimus vniuersaliter ab initio de victus rõne in oĩbus morbis pertractat.

QVOD INDICATIO A VIRIBVS NON INCLVdatur sub descriptione indicationis traditæ a Galeno libro de optima secta capite vndecimo, dum inquit, esse comprahensionẽ iuuantis, simul cum comprahensione nocentis, aduenientem sine obseruatione, aut ratiocinio.

Depulsio quinta.



VBI medicus propositũ finem consequi intendit, a primis indicationibus auspicari debet methodo diuisiua, quousque ad proximas, & ultimas, ultra quas aliæ non reperiantur, deuentum sit: primas uero indicationes ex affectibus pternaturam, qui a medicis curandi sunt, sumendas esse Galenus author est, nisi enim id, quod præter

2. metho. 7. & 9. ca 15.

3.meth.c.1. præternaturam est cognoscant, quo pacto in id, quod secundum naturam est reduci debeat, nunquam intelligent: sicque propositum finem curatiua methodo cõsequi non poterunt. Primùm igitur, quod medicis proponitur morbus est, a quo prima, & vniuersalior sumitur iudicatio, nempè sui ablatio, deinde per diuisionem aliæ inueniuntur, proceditque diuisio quousq; vltimæ, quæ sectionem non patiuntur inuentæ sint, quibus tandem propositus finis conquiratur. Vt autem quæ nã sit prima indicatio cognoscamus, in genere quid indicatio sit intelligere oportet. Est aũt indicatio, Galeno authore, nihil aliud, quã agendorum insinuatio, seu repręsentatio, aut demõstratio, per indicationẽ enim id, quod agendum sit ob oculos ponitur, & antequam fiat, describitur, seu delineatur: nã etsi ab experientia inueniatur id, quod cõsequens, faciendũue sit, non ita quasi in præcedenti aliquo designatum deprę hẽditur, quamobrem ab ipsa rei natura exordiri, & ab ea, quod sequẽs sit inuenire citra experiẽtiam, id est indicatione inuenire: quo fit, vt omnis medendi methodus seiuncta ab experientia procedat, quoniam per indicationem acquiritur. Aliter etiam in specie indicatio a Galeno describitur per contrarietatem, esse iuuantis comprehensionem, simul cum comprehensione nocentis aduenientem sine obseruatione, ac raciocinio, dicta autem iudicatio nobis aduenit ex re indicante, & re indicata, ex quibus fit compręhensio rei, quæ indicatur tanquam vtilis, simul cum comprehensione rei indicantis, nocentis, seu inutilis, quia vno contrariorum cognito, statim cognoscitur & reliquum, licet indicatio propriè, & per se, in apprehensionem vtilis dirigatur. Vt verò exemplo res fiat aperta, proponamus aliquem laborare assidua febre, quæ cum affectus præter naturam sit in immoderato calore consistens, postulat sui ablationem per contrarium, & ita est res postulans, seu indicãs, morbus ipse nocens: sui autem ablatio, est res postulata, seu indicata, quæ iuuans dicitur: compręhensio verò rei indicatæ ut iuuantis, simul cum comprehensione rei indicantis ut nocentis, est ipsa indicatio, citra tamen obseruationem, aut expe-

Quid sit indicatio ĩ genere.
2.meth.c.7.
Quid sit indicatio in specie.
Lib. de opt. sect. ad thrasy. c. 11.

rientiam, ob id, quod comprehensio iuuantis, quæ propriè indicatio est, fit simul cũ comprehensione naturæ illius rei, quæ indicat, & sic non interuenit experientia, seu obseruatio, quę eius, quod sæpius, & eodem modo visum est, comprehensio, seu memoria nuncupatur: at per indicationem, sine obseruatione, vel experientia alicuius similis rei præcedentis, etiam animalia bruta quod noxium est sentiunt, & deuitare conantur, & quod iuuans est, percipiunt, & amplectuntur: indicatio enim a morbo sumpta per contrarium fit, & cuilibet manifestatur, ideoq; in ea neq; experientia, nec raciocinium desideratur, cum enim nobis ex semetipsa obijciatur natura rei indicantis, seu nocentis, ita vt etiam brutis nota sit, manifestũ est obijci sine raciocinio. Hoc modo indicatio strictè, exquisitè, & propriè sumpta, ea esse intelligitur, quæ per cõtraria perpetuo fit, quę enim indicationes largius sumuntur, impropriè indicationes nominantur, & raciocinium includunt: nã quę a natura partis, a situ, & a figura sumuntur raciocinio non carent, interueniente enim ratione, qualiter situs in profundo, qualiterq; in superficie indicet intelligimus; præterea quomodo aer, aut tempus, quæ morbo contrariantur, aut similia sunt, indicationem præbeant percipimus: quæ indicationes verè excluduntur a ratione exquisitę, primæ, atq; propriæ sumptæ indicationis, quia ab eis non sumitur præcipua agendorum repræsentatio, cum solum ad materiæ inuentionem conducant. Alio modo indicatio describitur a Galeno his verbis, indicatio est, quando rebus percipiendis simul, quod confert percipitur absq; ostensione, & obseruatione, ac si dicat, tunc veram esse indicationem, quando rebus percipiendis, idest indicandis per indicationem, simul & quod confert percipitur, idest, simul percipitur res indicans, quæ vtilis, & conferens nuncupatur, absq; ostẽsione, & obseruatione: perceptio enim indicantis, atq; eius essentiæ, seu naturæ, quando vtile quid, & conferens est, statim nos ducit in cognitionem indicati, seu vtilis, quod confert pro custodia, & conseruatione eius, quod est secundum naturam: quemadmodum enim affectus præter

Lib. de opt. sect. c. 11.

Docente Gale. 9. meth. cap. 14.

Lib. de opt. sect. ad Thrasy. cap. 11.

Indicatio aliter quid sit in specie.

naturam, non quid agendum sit, sed suam ipsius ablationem, destructionemq; indicat, vt Galenus refert, sic quod secundũ naturam est, sui conseruationem postulat, neq; enim vulgus, neq; bruta animalia ignorant, morbos sublationem, sanitatem conseruationem indicare. Rectè igitur Galenus tres dictas indicationis descriptiones proposuit, quarum prima indicationem in genere describit, reliquæ duæ eiusdem species declarant: comprehendit enim indicatio cum describitur vt genus eam, quæ sumitur a morbo per contrarietatem, & eam etiam, quæ à sanitate procedit per similia citra vllam contradictionem, nam cum genericè dicitur, indicationem esse eorũ, quæ agenda sunt insinuationem, confestim intelligimus, tam morbi ablationem per contraria moliendam, quam sanitatis, aut virium conseruationem per similia acquirendam: quando uerò indicatio describitur per contrarietatem, esse iuuantis comprehensionem simul cum comprehensione nocentis, aduenientem sine obseruatione, atq; raciocinio, ut species describitur, quia coarctatur, & limitatur genus per differentiã, quæ sumitur a contrarietate, & constituitur species indicationis, quæ attinet ad morbos: quemadmodum cum coarctatur per differentiam sumptam a similitudine, constituitur alia species indicationis, quæ respicit sanitatem, & uires, tuncq; describitur in hunc modum. Indicatio est, quando rebus percipiendis, simul & quod confert percipitur, absq; ostensione, & obseruatione, sicq; ostenditur ea indicationis species, quę est citra contrarietatem: è rebus enim percipiendis, idest, acquirendis per indicationem (quæ sunt ipsa iuuãtia postulata, seu quæsita, uel indicata) simul & quod confert percipitur, nempè ipsum indicans, seu postulans, quod etiam iuuans merito nuncupatur: uita enim, seu uires, quæ indicantia, uel postulantia sunt, non indicant sui ablationem, sed potius conseruationem, quæ per similia, non autem per contraria perficitur. Vnde manifestum est indicationem considerari a Galeno ut genus, cum dixit, esse agendorum insinuationem, ut species uerò, uno modo, quando per contraria, alio autem,

quando

quando per similia absq; vlla contrarietate describitur. Quamobrem sicut speciei indicationis quæ sumitur a morbo, vel ab eo, quod est præternaturam competit descriptio sui generis, probêq; talis indicatio dicitur agendorum insinuatio, sic etiã speciei, quæ sumitur a sanitate, vel a viribus, aut omninò ab eo, quod est secundum naturam, conuenit eadem generis descriptio, & de ea verificatur. Postulant enim vires (cum secundum naturam sint) sui conseruationem, & quæ a viribus sumitur indicatio optima ratione agendorum insinuatio erit nuncupanda. At si per se considerentur indicationis species, vt generis illius species sunt, iã priuatæ, & propriæ illis conueniunt descriptiones, quas ex Galeno retulimus. Quamobrem immeritò Saluus Altimarum reprehendit, quòd indicationem a viribus sumptam, sub ea descriptione non cõtineri dixerit, qua indicatio describitur esse comprehensio iuuantis, simul cum comprehensione nocentis, adueniens sine obseruatione, ac raciocinio, non intelligens dictam descriptionem esse propriã indicationis, quæ procedit per contrarietatem, quæ quidem a morbo sumitur: at indicatio, quæ a viribus expetitur, nõ per contraria, sed per similia procedit; vires enim perpetuo similibus conseruari desiderant, contrarijs enim potius labefactarentur, & deficerent, ideoq; indicatio, quæ a viribus sumitur, propriam, & specificam habet descriptionem a Galeno traditam, dum inquit, tunc demum esse, quando rebus percipiendis simul quod confert percipitur. Saluus verò, dum præceptorem suũ errasse asserit, in errorem incidit, descriptionẽ vnius speciei indicationis alteri tribuens, aut communem faciens, non minus quam si hominis definitionem, & homini, & bruto, tribuisset, aut pro definitione hominis bruti definitionem sumpsisset: quod quantum afferat incommodi, non modo peritissimi medici, verùm ij etiam, qui primis logices rudimentis sunt exercitati intellexerunt. Sed iam rationes, quibus Saluus nititur, in medium afferamus, quarum vna est, non reperiri apud Galenum cõuenientiorem locum vbi de indicationibus adeò exquisitè locutus fuerit, quã in libro de optima secta ad

Defenditur Altimarus a calumnia a Saluo proposita, in cõmen. x. aph. fol. 130.

Indicatio a viribus per similia, non per contraria procedit Lib. de opt. sect. cap. 11.

Thrasybulum, cum dicto libro sæpius pertractauerit de indicatione, quæ à viribus sumitur, eamq; tanquam maximè principalem connumerauerit, atq; inde rectè sequi existimat, contineri sub descriptione indicationis ibi signata, qua indicatio dicitur comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis adueniens sine obseruatione, ac raciocinio: quod benè collegisset, si dicta descriptio cõmunis fuisset indicationi, quę per contrarietatem, & ei, quæ per similia designatur, cum verò propria sit eius, quæ a contrarietate procedit nihil concludit. Pręterea si dicto libro sola ea indicationis descriptio a Galeno proposita fuisset, cum indicatio a viribus inter præcipuas connumeretur, proculdubio argumentum non esset contemnendum: at cum alia indicationis descriptio eodem in libro a Galeno proponatur, quæ propria est indicationis, quæ a viribus sumitur, ideo tanquam futile, & nullius momenti spernẽdum: & eo magis quod in virium indicatione nocens contineri affirmauerit, cum nullus medicorum hucusq;, virium primariam indicationem aliud esse dixerit, quàm earundem conseruationem, quæ per similia perpetuo fit, quod enim a viribus postulatur, atq; desideratur, seu indicatur, conseruatio quidem est, non autem destructio. Quamobrem in rebus percipiendis, siue per indicationem acquirẽdis (quæ quidem sunt res indicatæ, & iuuantes, seu vtiles) simul & quod confert, & vtile est, percipitur, nempè ipsum indicans quod similiter iuuans est, & conferens, quemadmodũ res indicata iuuans nuncupatur. Non igitur nocens in prima indicatione, quæ a viribus sumitur contineri potest, quod Galeni verbis confirmari potest, qui in libro de medendi methodo dixit, primam, atq; maximè præcipuam faciendorum indicationem esse, quæ affectum ægrotantis amouendum suadet: æque vt in sanis, primã esse, quæ statum eorum seruandum monet, verùm hunc sicut per similia seruari, ita per contraria perimi docet: quare si in virium conseruatione nocens, seu contrarium indicaretur, etenim vires sui destructionem ostenderent. Præterea animal tribus inter se diuersi generis facultatibus gubernari, ex Hippocra-

In viriũ indicatione nocens non cõtinetur.

Lib. 9. c. 9.

pocratis, & Platonis mente asseruit Galenus, quas etiam Platonem, animas nuncupasse dixit, harum quædam ad nutriendum animal necessaria, & cum stirpibus communis, iecur velut pro fonte habet, a quo venæ vt canales in totum corpus sparsæ, sanguinem deferunt pro ipsius partibus alendis: hanc facultatem, naturalem, seu altricem nominare solemus. Altera verò, quæ non modo vt stirpibus, aut vita præditis, sed etiam vt animalibus insita est, in corde sedem habet, tãquam in insiti caloris fonte, a quo arteriæ tanquam canales exorte, sanguinem spirituosum in corporis partes, dictamque facultatem vitalem, seu animosam nuncupatam deferunt. Tertia facultas in cerebro domicilium habens, animalisq; dicta, voluntarijs actionibus vnà cum sensibus presidens, per neruos a cerebro exortos tanquam per canales, sensum, motumque in totum animal transmittit. Has autem tres facultates seruare, nihil planè est aliud, quàm vitam custodire, qualibet enim earum amissa; necesse est reliquas quoque vnà perire, maxima igitur dignitas est ipsarum virium, quandoquidem vita ipsa in nobis ex harum custodia conseruatur, vtpotè cum vitam, aut ipsas esse vires, aut earum actiones sit necesse: virtus igitur omnium prima custodienda hominibus est, similiterque sanitas, & id, quod est secundum naturam. Cum verò id, quod secundum naturam est, similibus, & propriæ naturæ conuenientibus, non autem dissimilibus seruari apud omnes in confesso sit, manifestum itidem erit quod est præter naturam contrarijs esse auferendum: quamobrem in indicationis, quæ a morbo sumitur descriptione, necessario nocentis comprehensio includetur simul cum comprehensione iuuantis: in descriptione verò indicationis, quę a viribus sumitur, vtraque comprehensio iuuantis erit, quoniam & postulans, & postulatum, iuuantia, & similia sunt, non autem dissimilia, aut contraria: vires enim postulantes sui conseruationem, secundum naturam sunt, & postulatum, quod est ipsarum conseruatio, etiam secundum naturam est, quare his, quæ secundum naturam sunt, nempè simili-

7. de placitis Hip. & Plat.

Maxima dignitas uirii

similibus acquiritur: non igitur vllo modo quæ a viribus sumi tur indicatio, sub ea descriptione contineri poterit, qua dicitur comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocẽtis, sine obseruatione, & raciocinio adueniens. Desinat igitur Saluus præceptorem reprehendere contrariam illi proferens sententiam, & a Galeni mente valdè alienam, cui verba addu cta ex nono libro methodi nihil fauent, sunt autẽ quæ sequun tur. Ergo vires vnam rem semper indicabunt, vtiq; sui custodiam: quibus ergo (roget quis) rationibus seruabitur? nempè potissima ratione ex eo quod de substantia earum, vel inanitũ vel alteratum est, corrigendo: secundo loco ex prohibẽdis ijs, quæ ipsarum substantiam vacuare, alterareuè possunt, comprehensa verò inter ea, quæ alterant breuitatis causa sunt, & quæ earum vnitatem distrahunt. Sed iam sigillatim dicta Galeni perpendamus, dum enim inquit. Ergo vires quoq; vnam rem semper indicabunt, vtiq; sui custodiam, manifestè docet, virtutem (quæ iuuans res est, atq; postulans) indicare sui custodiam, quæ res postulata est, & similiter iuuãs: indicatio igitur, quę ab his emergit, comprehensio est iuuantis pręcedentis, & subsequentis, non autem comprehensio iuuantis cum comprehensione nocentis: quod ex præcedentibus Galeni ver bis comprobatur, dum inquit, vnam semper esse, quæ a virtu te præstatur conferentis indicationem, veluti etiam reliquorum omnium, nam quicquid pro natura sua indicat, id vnum semper indicabit, seu quod vnam habeat naturam, cum igitur virtus vnam habeat naturam vitæ proficientem, vnum per se etiam indicabit quod conferens sit, nempè sui conseruationẽ: quædam enim sui custodiam indicant, quædam verò amotionem, at manifestum est, per se semper custodiam similibus, amotionem verò contrarijs moliendam esse. Quando autem Galenus dixit, vires seruari potissima ratione, ex eo quod de substantia earum, vel inanitum, vel alteratũ est, corrigendo; secundo loco, ex prohibendis ijs, quæ ipsarum substantiã vacuare, alterareuè possunt, de custodia, quæ per correctionem fit, locutus est: quando enim earum substantię, vel subiecta (nempè

Cap. 13. *Eodem lib. cap. 12.* *Eodem lib. cap. 13.*

(nempè ſpiritus, caro, aut ſolida membra) a debito naturæ modo recedunt, ægrotare, fieriq; præternaturam neceſſe eſt, tuncq; correctore indigent, qui per contraria vitia corrigat, & emendet, cum autem vires diſſipentur, & minuantur, propter ſubiecti a debito modo receſſum, niſi ea, quæ eis ſubijciũtur, in naturalem habitum, & debitam temperiem reducantur, conſeruari non poterunt. Propter vitij igitur, ſeu morbi ablationem, quod virium ſubiectum patiebatur, ex accidenti vires cuſtodiuntur remoto eas conſeruare prohibente: per ſe autem, & ex propria natura tunc cuſtodiri dicuntur, cũ per ſimilia conſeruantur. Ideoq; Galenus loquens de virtute cuſtodienda, duplicem cuſtodię partem aſſignat, vnam, dum ipſam partis, cui inhæret, εὐκρασίαν, vel debitam temperiem præſentem ſimilibus ſeruamus, vel abſentem inducimus per contrariam qualitatem affectui corrumpenti. Neq; enim (vt Galenus refert) aliud eſt ipſa ſanatio, quàm præſentis vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio, cum enim contrarij hi affectus ſint, neceſſe eſt per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio: ſicq; ab affectu præternaturam ſpiritus, carnoſę, aut ſolidæ ſubſtantiæ, ad id, quod ſecundum naturam in illis eſſe ſolebat, per contrarietatem procedimus, vnde fit, vt ex accidenti vires, quæ in his ſubſtantijs cõtinentur, reductis dictis ſubſtantijs in naturalem ſtatum, cuſtodiantur. Quemadmodum enim quæ ſubſtantiæ vnitatem diſtrahunt viribus officere ſolent, quę in debita partis vnione conſeruabãtur, ſic quę eiusdem ſolutionem vniunt eiſdem viribus proficere eſt neceſſe: verùm cum id fiat per contrarietatem, translatione affectus præter naturam in id, quod ſecundum naturam eſt, per ſe quidem, & primario remouebitur morbus, & inducetur ſanitas abſens, ad quam conſequitur ſecundario viriũ robur, & earundem cuſtodia: quando verò eadem ſanitas non vt abſens recuperatur, ſed potius vt præſens cuſtoditur, tũc de per ſe, & primario ſanitas, & vires, ſimilibus, atq; familiaribus cõſeruantur. Ex quibus patet, cum vires ex ſe ſemper indicent ſui conſeruationem, nunquam in indicatione, quæ ab eis ſumitur

Eodem lib & capite.

mitur posse reperiri contraria, aut nocentia, & ex consequenti dictam indicationem non contineri sub ea descriptione, quà indicatio dicitur, comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis, adueniens sine obseruatione, & raciocinio. Id autem optimè annotauit Altimarus, cuius sententia amplectenda potius est, quàm reprehendenda, ei enim fauent Galeni verba vndecimo libro de medendi methodo, vbi cum monstrasset, virtutem sui custodiam prescribere, sicut morbum se tollendum, statim profert, erit rursus in virtute secundus scopus, ipsius custodia: sicut in morbis, ipsorum sublatio, at verò custodia similium exhibitionem indicabit, sublatio contrariorum. Quoniam verò virium substantiam, tũ ex spiritu, tum ex carnosa specie, cum solidis ipsis completur, ex his, quę similia sunt moliri cuipiam suam custodiam conueniet: spiritui ex respiratione, atque transpiratione: & qui ex sanguine attollitur vapore: solidorum verò generi ex solido nutrimento: quemadmodum carnoso generi per eam naturam, quę in medio humidorum, ac solidorum corporum est. Quibus Galeni dictis manifestum fit de per se, & ex sua natura, vires semper sui conseruationem per similia postulare, & indicationem, quę ab eis sumitur, sub ea descriptione non comprehendi, qua dicitur esse apprehensionem iuuantis, simul cum comprehensione nocentis sine obseruatione, & raciocinio aduenientem. Cap. 3.



QVOD

QVOD HIPPOCRATES VNDECIMI APHORISMI prima parte, qua inquit in accessionibus a cibis abstinendum, per accessiones sumpserit eas, quæ febrium cōtinuarum sunt habentium exacerbationes intermittentibus affines: in secunda verò dum asserit, quibus per circuitus accessiones fiunt, in ipsa accessione abstinere oportet, per accessiones, eas, quæ intermittentium sunt intellexerit.

Depulsio sexta.



VOMODO quisque particulares ciborum oblationes conuenienter faciat, docuit Hippocrates, caueri iubens morborum accessiones quando dixit, in accessionibus abstinere à cibo oportet. Sed cum duplex sit accessio, vna continuarum habentium exacerbationes intermittentibus affines, altera verò intermittentium, quæ internallum habent manifestum cum à febre liberantur, de vtraque accessione Hippocrates verba facit in aphorismo, quæ Galenus exponens ex eiusdem mente, inquit, cibum dandum nō esse, cum iam adsunt accessiones continuarū, aut propè sunt, sed potius cum declinant: Similiterq; in intermittentibus prohibet cibi exhibitionem, quando accessiones incipiunt, seu haud multò post futuræ sunt: cum verò intermittunt, exhibendum consulit. Quod cōfirmat eiusdem auctoritate libro de victu acutorū dicentis, cibi offerendi tempus ex morbo non prohibente inueniri, sed quoniam in accessionum tum principijs, tum incrementis ingesta alimonia lædere admodum nata sit, ob id differimus ipsius exhibitionem, quanquam corpus ipsum iam iam indigere videatur. Tunc igitur optimum languentibus ipsis dandæ alimoniȩ tempus erit, cum moderatissimè habuerint, tum thorax, tum venter: deterrimum verò, cum ea deterrimè se habeant, deterrimè autem habent in accessionum principijs, moderatissimè verò in declinationibus; constat ergo optimum cibi ministrandi tempus in

1. aph. sect. aph. 11. *In enarratione.* *Com. 6.* *Quod sit optimum tempus exhibēdi nutrimēti.*

F ægrotan-

ægrotantibus, in accessionum esse declinationibus si continuè laborent, si verò cum intermissione, in ipso intermissionis interuallo, quoniam eo tempore moderatissimè se habēt. Quod clarissimè insinuat Hippocrates, dum inquit, cum purgaueris sorbitionibus vtitor, obseruatis ita febrium accessionibus, vt nunquam cum adsunt, neque cum futuræ sunt, exhibeas: sed vel cum cessant, vel quieuerint, & maximè a principio recesserunt. Quibus vtique verbis manifestum fit, abstinendum esse a cibo in principio, augmento, atque vigore accessionum febrium continuarum, exhibendumque duntaxat in declinatione, quo tempore quoquo modo quiescunt (nisi simus coacti propter nimiam virium imbecillitatem in quouis accessionis tempore alimoniam præbere) in intermittentium verò accessionibus interdicendum esse cibum, quousque finiantur, exhibendumque in interuallo, quod mediat inter finem accessionis præteritæ, & principium venturæ, recedendo quātum fieri possit a principio sequentis accessionis. Quæ dicti aphorismi interpretatio a Brasauolo pulchrè traditur, & ad Galeni mentem, qui accessionem aliquando sumit pro deteriori tempore totius circuitus, quod est a primo insultu vsq; ad tempus consistendi, sicut reliquum tempus declinationis est melius, vt in continuis febrium accessionibus est manifestum: aliquando verò per accessionem intelligit non modò dicta tria tempora, sed etiam declinationem, & tunc accessio distinguitur ab interuallo, quod post finitam declinationem sequitur vsque ad alterius accessionis principium, vt in intermittentium febriū accessionibus cuiq; patet, quæ integræ velut deterius tempus considerantur ad exhibendum cibum respectu interualli earum, quod melius, & aptius est ad cibi oblationem, quia tunc morbus minus prohibet alimoniæ exhibitionem. Hæc autem Brasauoli expositio nō placet Saluo, primò, quia existimat reddere Hippocratem in paucissimis verbis æquiuocum; secundò verò, quoniam hac ratione credit aphorismi sententiam fieri particularem, ideoque aliam adducit expositionem, dicens in prima parte aphorismi Hippocratē intellexisse vniuersaliter, non

4. de victu acut. com. 39. — *In com. aph. 12. sect. 1.* — *2. de cris. cap. 2.* — *In enarratione aph. 10. fol. 139.*

non modò in febribus, sed in omnibus morbis, qui ordinatè, vel inordinatè per accessiones repetunt, quando accessiones iam adsunt, a cibo abstinendum fore: in secunda verò parte præcepisse non solùm abstinendum esse in accessionibus, cum præsentes sunt, sed etiam ante earum aduētum: cum verò hoc facere nō liceat, nisi in habentibus accessiones ordinatas, ideo Hippocratem dixisse in secunda aphorismi parte de accessionibus ordinatis, & quibus per circuitus accessiones sunt, ino ipsa accessione abstinere oportet. Cæterum si quę Brasauola in dicti aphorismi expositione dicuntur Saluus rectè perpendisset, non solùm veram Hippocratis, & Galeni mentem eum sequutum cognouisset, sed neque Hippocratē reddidisse æquiuocum in accessionis nomine existimasset, quia in prima parte aphorismi aliter accipiat accessionem, quàm in secunda. Quod quantum deuiet a rei veritate intelliget, qui naturam æquiuocorum rectè nouerit, quorum nomen commune cum sit, ratio tamen substantiæ secundùm illud nomen diuersa existit: vt canis, ex eo æquiuocum dicitur, quòd nomen & latrabili, & marino animali, atque cœlesti syderi commune sit, & conueniat, ratio verò substantiæ alia latrabilis animalis, alia verò marini, & alia syderis existat, vnumquodque enim per se suam propriam habet definitionem ab alijs diuersam: at accessionis nomen commune quidem est tam accessioni febriū continuarum, quàm accessioni intermittentium, & ratio, seu definitio vtriusque accessionis eadem est, accessionis enim ratio, qua accessio est secundùm propriam quiditatem tam conuenit vni, quàm alteri, licet secundùm inuadendi modū, vel maiorem, minoremq; insultum, aut alias accidentarias rationes, quæ speciem non variant, differre videantur: quarè cum nomen, & ratio accessionis, tam accessioni febrium continuarū, quàm intermittentium cōueniat, potius vniuocè, quàm æquiuocè de vtrisque accessionibus dicetur. Præterea, licet Brasauolus dixerit aliter in prima aphorismi parte Hippocratē sumpsisse accessionem, quia agat de continuis febribus, aliter verò in secunda, quia de intermittentibus sermonem faciat, non

Defenditur Brasauolus

Ex Arist. in ante prædicam.

ob id sequitur æquiuocè procedere, quoniã in ratione accessionis, quà accessio est, non aliter sumit accessionem in prima aphorismi parte, quàm in secunda, in vtraque enim parte per accessionem, deterius tempus ad cibi exhibitionem intellexit, nempè principium, augmentum, atq; statum: vt enim Galenus refert, duas habet partes circuitus, modò continuæ, vel intermittentis febris sit, alteram, quę prędicta tria tempora cõprehendit, & nomen accessionis retinet, alteram verò, quam remissionem vocamus: ideoq; Hippocratem dixisse asserit, in accessionibus abstinendum esse, docuisseq;, solùm illud tempus, quod accessionẽ vocat obseruandum esse: nunquã enim in hoc nutrimus, sed tantùm in reliquo omni tempore remissionis. At quia remissio interdum simplici declinatione (vt in continuis accessionibus) interdum verò ex declinatione, & interuallo (vt in intermittentibus) componitur, eam ob causam nutrimus, interdum in alia, atq; alia eius parte: in continuis quidẽ in declinationis aptiori parte: in intermittentibus verò, in ipso interuallo vt dictum est, modò nõ parum distet ab insultu venturæ accessionis: & vt vtrunque significaret Hippocrates, dixit primò in accessionibus abstinendum, per accessiones intelligens eas, quæ febrium continuarum sunt, in quibus interdicit cibum per totum principij, augmenti, & vigoris tempus; permittit verò in remissione, idest, in declinatione, quia dictæ febres non deueniunt ad infebricitationem: secundò verò dixit, etiam quibus per circuitus accessiones fiunt; idest, in febribus intermittentibus, quæ non modò ad remissionem, sed etiã ad intermissionem, seu interuallũ deueniunt, similiter abstinendum esse à cibo in dictis tribus temporibus, exhibendum verò in remissione maiori, nempè in interuallo, quod simul cum declinatione sub remissione continetur. Quibus Galeni dictis manifestum est veram esse Brasauoli expositionem, neq; ob id sequi, non esse vniuersalem aphorismi doctrinam, cũ alij sint morbi à febribus, qui per inordinatas accessiones repetunt, vt articularis, & colicus dolor, aut nephriticus, quoniam eadem doctrina, qua in febriũ accessionibus, idest,

Li. de morb. temp. c. 6.

deſt, tribus temporibus, principio nempè, augmento, & vigore alimonia prohibetur, colligitur etiam in morbis ſine febre, qui per circuitus ſine ordine repetitionem faciunt, vitandam omnino eſſe in eiſdem tēporibus: ſicq; vniuerſalis efficitur dicti aphoriſmi doctrina, cum de ordinatis, & inordinatis acceſſionibus cum febre continua, aut intermittente, vel ſine febribus intelligi poſsit. Salui autem interpretatio longè aliena eſt ab Hippocratis mente, dum inquit prima parte aphoriſmi cū precipit, in acceſsionibus abſtinendū eſſe, intellexiſſe tantùm quando preſentes ſunt, non autem antequam adueniāt, cum aliquę ſint inordinatę, quę ante aduentū pręcognoſci non poſſunt: in ſecunda verò parte de ordinatis loquutum fuiſſe, quę per circuitus fiunt, in quibus futuras acceſsiones præcognoſcimus, vt ante earum aduentum à cibis abſtinere valeamus. Cæterum ſi perpendiſſet quæ à Galeno dicuntur in commēto decimi noni aphoriſmi primæ ſectionis, talem expoſitionem non protuliſſet, ſunt autē hæc Galeni verba. Cum igitur tria ſint capita, quibus victus ratio comprehenditur, quantitas ciborum, qualitas, & vtendi modus: ad duo quidem priora ex acceſſionibus nullam habemus vtilitatem, ad tertiam verò, nēpè ad vtendi modum, aliquid ſumere poſſumus. Quarè non temerè Hippocrates earum in tertio capite meminit. Nam tēpora commoda ciborum particulariū præcipuè docent acceſſiones, in morbis tamen, in quibus ordinatim obueniunt, hoc eſt, per circuitus: atq; ideo ipſe Hippocrates inquit, ijs, qui per circuitus acceſsiones habent, nihil dare oportet, vt qui non ignoraret alios eſſe morbos, quibus fierent acceſsiones, non tñ per circuitus, hoc eſt, ordinatim, in inordinatis enim ratio exquiſita inueniendi temporis, quo cibus offeratur haberi nequit: in quibus verò acceſſionū ordo ſeruatur, principia earū oportet obſeruare, hoc eſt, ne eis iam factis, vel nō multò poſt futuris nutriamus. Quibus Galeni verbis manifeſtū fit Hippocratē in vndecimi aphoriſmi prima parte, dum inquit, in acceſſionibus abſtinere oportet, per acceſsiones nō intellexiſſe eas, quæ præſentes ſunt, modò ordinatæ, aut inordinatæ ſint, vt Saluus

In cō. aph. 11. f. 140.

Damnatur Salui expoſitio.

Saluus existimat: quoniam de inordinatis accesſionibus quantũ attinet ad cibi vtendi modum nunquam Hippocratis mens fuit pertractare; qua ratione. n. modum cibi exhibendi, vel ordinem potuit perſcribere in illis accesſionibus, quæ nullũ habent ordinem? non enim potuit docere in acceſsionibus dum præſentes ſunt a cibo abſtinendum eſſe, quoniam hoc cuilibet eſt manifeſtum, ſed potius cum nouam acceſsionẽ per circuitum, hoc eſt, ordinatim ſpectamus venturam, docet Hippocrates quo tempore cibo vti poſsimus, dicens, in acceſsionibus abſtinere oportet, ideſt, primis tribus temporibus, vt dictum eſt, principio nempè, augmento, & vigore: quare relinquitur vtendum eſſe alimonia in poſtremo tempore, videlicet, in declinatione aliquot horis ante quàm aduentet inſultus ſequẽtis circuitus in aſsidua febre: quia verò in acceſsionis febrium intermittentium remiſsione præter inclinationem reperitur interuallum, in quo aptiùs exhibetur cibus, quam in ipſa inclinatione, vt aphoriſmi doctrina non de continuis modò, ſed de intermittentibus agere videretur, addidit, & quibus per circuitus acceſsiones fiunt, ideſt ordinatim etiam cum intermiſsione, in ipſa acceſsione abſtinere expedit, ideſt, dictis primis tribus temporibus, exhibendum verò eſſe in parte remiſsionis, qua tutius morbus ferre poſsit, nempè, in interuallo, quo febris intermittit. Quarè cum continuæ, & intermittẽtes febres per circuitus, hoc eſt, ordinatim (vt diximus) repetant, in earundem acceſsionibus, ideſt primis tribus temporibus ex Hippocratis doctrina abſtinendum erit a cibo, eritque in continuis exhibendus in conuenientiori tempore declinationis, in intermittentibus verò parte aptiori interualli. Quod confirmauit Hippocrates decimonono aphoriſmo eiuſdẽ ſectionis, dum inquit iis, qui per circuitus acceſsiones habent nihil dare oportet, nec cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes, ideſt ante acceſsiones, ſicut Galenus exponit: vt hinc pateat veram eſſe Manardi ſententiã in expoſitione dicti aphoriſmi, qua exiſtimat Hippocratem, quæ vndecimo generatim propoſuerat circa cibi utendi modũ, id particulatim decimo

Comprobatur Manardi ſentẽtia.

nono

nono proposuisse, ac de nouo clariùs retulisse, dùm inquit, ijs qui per circuitus accessiones habent nihil dare oportet, neq; cogere vt cibum sumant, vt qui non ignoraret alios esse morbos, in quibus fierent accessiones, non tamen per circuitus, idest, non ordinatim, & in quibus ratio exquisita inueniendi temporis quo cibus offeratur haberi nequit: in quibus verò accessionum ordo seruatur, principia earum obseruanda esse dixit, hoc est, ne eis iam factis, vel non multò post futuris, nutriamus, idq; particulatim significauit quantum attinet ad cibi vtendi modum in dicto aphorismo, quod generatim in vndecimo proposuerat. Sic igitur, accessionis nomen cum eodem modo sumatur in continuarum, atq; intermittentium febrium accessionibus, (quia vtrobiq; per ipsum significantur priora tria tempora particularia cuiusuis accessionis) in prima tamen parte aphorismi de febre assidua erit intelligendum, in secunda verò de intermittente, vt probè Brasauolus exposuit, & demonstrat sequens Hippocratis aphorismus, cum inquit, Accessiones verò, & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant, docente Galeno morbos ipsos ex sua natura suarum accessionum proportiones, & earundem constitutiones ostendere: velut in intermittentibus, quòd tertiana cito iudicatur, quotidiana verò lõga erit, quartana autem, & hac longior existet: in continuis verò, quòd causodes quidem, idest incendentes, acutæ sint, quæ verò typhodes, idest, succẽdentes nominantur, longiores: mediæ verò inter has semitertianæ. De accessionibus igitur continuarum, & intermittentium febrium egit Hippocrates in vndecimo aphorismo, in quibus a cibo abstinendum præcipit, in prima quidem parte de continuis: in secunda verò de intermittẽtibus, quod pro defensione Brasauoli satis superq; probatum existimo.

[Margin: 12. — In com. eiusdem aphor.]

QVOD

QVOD IN APHORISMO DVODECIMO PRIMAE *sectionis Hippocrates per circuitus, qui per maiora interualla fiunt, non solùm quartanos, sed & quintanos, septimanos, & nonanos significauerit.*

Depulsio septima.



N illis morborum circuitibus, qui ordinatim procedunt, quo tempore, & qua hora ciban di sint ægrotantes, vndecimo aphorismo primæ sectionis demonstrauit Hippocrates, quibus enim accessiones inordinatę contingũt, certum, ac præfinitum tempus exhibendæ alimoniæ signari nequit: cum verò præter quotidianos circuitus, tertianos, atq; quartanos, qui ordine concitantur, reperiantur etiam quintani, septimani, & nonani, ordine adinuicem correspondẽtes, etiam si raro contingant, nihil mirum quòd Brasauolus cum Oribasio affirmauerit, Hippocratem ostendere voluisse per circuituum successiua incrementa, non modò quæ quotidie, vel alternis diebus, sed illa etiam quæ per maiora interualla fiant, hoc est, per quartanos, quintanos, septimanos, aut nonanos circuitus, nanq; maiora interualla omnes dictos circuitus comprehendunt, quorum singuli ordine repetere solent, licet crebriùs quartani, rarissimè autem reliqui. Etsi enim tres tantùm humores sint, qui per circuitus moueantur, circuitus tamen multò plures sunt, quoniam nõ solùm tertianum, quotidianum, & quartanum Hippocrates obseruauit, sed & quintanum, septimanum, & nonanum proposuit: quanquam a Saluo negentur, qui Brasauoli sententiã damnans, suamq; aduersus Hippocratis dicta proferens, nullo modo dictos circuitus posse dari contendit: tum quòd Galenus in commentario aliquam talem febrem se nunquam distinctè vidisse affirmauerit: tum quòd rationes Dioclis aduersus Hippocratem cõmendauerit. Tamen re vera Galenus sub dubio rem relinquit, quia nõ omnino quintanum circuitum negauit, sed eum distinctè non vidisse retulit, cũ tamen libro de typis

Lib. 1. epid. par. 3. tex. 2 7. & 9.

In cõ. aph. 12. se. 1 57.

Loco citato.

de typis dictorum circuituum meminerit his verbis. Quartanus typus est, qui quarto quoq; die vnam, & eandem facit accessionem, atq; vnam, & eandem remissionem. Eadē de quintano, & septimano intelligenda sunt, & si quis prætcrea alius typorum ordo inueniatur. Et in libri calce inquit. Implicantur etiam tertianus, quartanus, & quintanus, quando prima quidem die simul omnes accedunt, secunda remittunt: tertia tertianus accedat, quarta quartanus, quinta tertianus, & quintanus simul accedant. Et in libro ad eos, qui de typis scripsere, hæc profert verba. Tertianam sanè appellamus, cui tertio die accessio oboritur, duobus interea iam nimirum absolutis; quartanam, cui quarto quoq; die; tribus & in hac interea diebus completis, ac in alijs ad proportionem. Quapropter cum circuitum typi quatuor dierum inueneris, quintanam ipsam dices. Si igitur Galenus quintanos circuitus, septimanos, aut nonanos, nunquam reperiri posse existimasset, de illis doctrinam non protulisset. Neq; Salui ratio quicquam conuincit, non enim ex eo quòd Galenus nunquam, aut rarò, vel obscurè hos circuitus viserit, sequitur alios videre nō potuisse: quoniam præter Hippocratem, qui nihil scriptis temerè mādauit, & primus hos circuitus proposuit, Auicenna experimento cōprobauit, & inuenit huiusmodi circuitus in aliquibus febribus, & aliqui nostri tēporis medici, febres ordinatim per quintum, & septimum, & octauum diem repetentes conspexerunt, & nos quoq; quintanam vidimus, & curauimus. Quamobrē meritò redarguendus Saluus est, qui dum Brasauolum improbat futili hoc nitatur argumēto, quòd quilibet humor habeat propriam, & determinatam accessionis figuram, pituitosus quotidianam, biliosus tertianam, & melancholicus quartanam, & cum non sint alij humores, qui accessiones moueant per repetentias, concludit fieri non posse quintanos, septimanos, aut nonanos circuitus: Sed malè proposuit, non enim febrium circuitus respondent humorum numero, sed fieri cōtingit quòd aliquis humor propter multitudinem, aut paucitatem aberret a prima periodo, ideoq; Auicenna eandem cau

cap. 4.

cap. 7.

Fen. 1. 4. trac. 2. cap. 71.

Improbatur Saluus.

Febriū circuitus non respondent humorū numero.

loco citato.

ſam proponit quintanæ, & ſeptimanæ febris, quam quartanę propoſuerat: Propter humoris enim paucitatem fit, vt febris quinto, & ſeptimo die repetat, quamobrem periodos febriū ex quantitate, & qualitate humorum fieri dicit: nec ſolùm melancholico humori id contingere affirmat, ſed bili, & pituitę, ob materię enim paucitatem vltra conſuetos periodorum terminos protrahuntur. Verùm hoc non tollit quod de quotidianis, tertianis, & quartanis ex communi medicorum conſenſu dici ſolet, nempè quotidianam ex pituita, tertianam ex bile, & quartanam ex melancholia generari. conſiderandum tamen eſt, non eo modo, quo ex humore fæculento, cùm quantitas debita coaceruatur, quartana febris oboritur, cùm verò minor, quintana generatur, ſic ex pituita, aut bile euenire: ex pituita enim, quando quantitas conſueta minor colligitur, non fit pro quotidiana tertiana: ſimiliter ex bile ſi quantitate minor eſt, loco tertianæ non generatur quartana cum ordine perſeuerans, ſed duo hi humores varia quantitate, aut qualitate febres efficere valent intra diem conſuetum anticipãtes, vel cunctantes, diem tamen ſuæ periodicationis ordinatim transgredi non poſſunt. Melancholia verò longiſsima interualla ex eo tranſire poteſt, quòd terreus humor ſit, & difficillimè diſcuti valeat, quòdq; putredine, aut vſtione in aliud humoris genus permutari non poſſit, quemadmodū pituita media putredine in aliquam flauę bilis ſpeciem, & flaua bilis in atram conuertuntur; atra verò nunquam extra ſuum genus agitur & ſi deterioris qualitatis fiat. Quando igitur tam minima pituitoſi, aut bilioſi humoris copia coarceuatur in affecta parte, vt non valeat quotidie, vel alternatim febrem concitare, tunc humor diſcutitur, aut totus per iudicium euacuatur, vel membrorum calore in aliam humoris ſpeciem cōuertitur, aut morbi permutatio fit, vel generatur febris, quæ erratica dici ſolet: in melancholico autem humore hæc non eueniunt, cùm ad diſcuſſionem, aut euacuationem per iudicium, ſeu ad alterius morbi generis permutationem aptus non ſit, ideoque alterius periodi febrem cum ordine, & conſtantia valet concitare,

tare, qualis est quintana, septimana, aut nonana, in quibus & si optima victus ratio ab ægrotantibus seruetur, ad consuetum tempus periodus reuertitur. Neq; obstat quòd Hippocrates nullum de his proposuerit exemplum in epidemijs, nec mẽtionẽ fecerit in aphorismis, aut prognosticis, alijsuè genuinis libris, cùm enim rarò contingant, satis est de illis pertractasse libro primo epidimiωn citato. De his enim, quæ rarò eueniũt habetur scientia, æquè ac de his, quæ frequenter fiunt, quoniam per mathematicas demonstrationes in cognitionem eclipsis solis, & lunæ & si rarò contingant, deuenimus: pari modo, & si quintanæ, septimanæ, aut nonanæ febres rarò visæ fuerint, non ob id de illis vera doctrina prętermittenda, quia verò ab eodem humore fiunt, quo quartana generatur, in minori tamen quãtitate, inde est quòd Hippocrates alijs in libris de eis non egerit. Neq; ob id coniectari oportet, quæ dictis locis dicta sunt de his circuitibus non esse de Hippocratis mente, sed vt alia multa fuisse addita, hac enim ratione vbi in prognosticis, aut aphorismis aliqua doctrina non placeret, statim eam Hippocratis non esse dicere liceret. Tandem vltima Salui ratio nihil conuincit, qua intendit probare non dari dictos quintanos, septimanos, & nonanos circuitus, quia si darentur, cùm non sint plures humores quàm quatuor, esset nęcessariũ fateri quòd ab vno humore plures possint seruari circuitus: quod quidem libenter concedimus, ex humore enim melãcholico vt diximus, quartanus, quintanus, septimanus, & nonanus circuitus fieri solent, non igitur ex humorum numero benè concludit quòd non dentur, cum idem melancholicus humor pro diuersæ quantitatis ratione, modò quartanum, modò quintanum, aut septimanum circuitum facere valeat. Neq; ob id sequitur non licere in morbis ratione suæ caussæ prędicere futuram accessionem, quoniam ex eodem humore melancholico tanquam ex causa, cum certa ipsius quantitate possumus quartanum circuitum venturum prędicere, & ex eodem cum minori portione quintanum enunciare. Quòd tãdem vltimo adducit aduersus Brasauolum, nempè, determi-

parte 3. tex. 4. 7. & 9.

natum humorem determinatam, ac propriam habere accessio nis figuram, potiùs illius sententiam confirmat, quàm vt vlla ratione ei cōtra dicat: determinatus enim melancholicus succus cum certa quātitate quartanam fěbrē generare est aptus, & idem alia determinata portione, minori tamen, quā vt quartanam producere valeat, quintanā giguet; idipsum de reliqnis circuitibus, qui ordinatim per seprenos, aut nonanos dies aliquando repetunt, dicendum est. Quarè determinatus humor determinatam, ac propriam habebit accessionis figuram, cum certa, ac determinata quantitate, & qualitate, non enim solùm mouetur humor ad concitandas circuituum repetentias cum qualitate mordet, comparat verò mordacitatem per moram dum in membro detinetur sine facili ventilatione congestus, neque mouebitur, & ad sentiētia membra mittetur, donec ex mora mordax redditus naturam stimulet, sicque idem melancholicus humor, qui mordacitatem fuerit adeptus, pro diuersis sui quantitatibus determinatas, ac proprias circuituum accessiones mouebit, inter se tamen temporis mora distantes. Optima igitur ratione Brasauolus, & ad Hippocratis mentem, per maiora interualla exposuit, non solùm quartanos circuitus, sed & quintanos, septimanos, & nonanos, quod ꝑ eius sententiæ tutela aduersus Saluum probandum proposuimus.

CIRCVITVVM CAVSAS PER STATVTOS DIES, præcipue in cuiusque humoris propria natura, atque substantia esse collocandas.

Depulsio octaua.



VNC ignem faciliùs concitari certum est, quando vnumquodque illius subiectum in qualitatibus maiorem cum illo habuerit similitudinem, quamobrem cum sua natura ignis calidus, siccusque sit, faciliori negocio in calida, siccaque bili accendetur, incrementumque suscipiet, quàm in reliquis humoribus, qui aut vna

qualitate

qualitatè, aut ambabus illi contra nituntur: ideòque melancholia, quia sicca, frigidaque est, vnicamque qualitatem frigidam transmutandam habeat, difficiliùs bile, faciliùs verò pituita, quæ ambabus qualitatibus, frigida nempè, & humida pugnat, in igneam naturam conuertitur: pituita verò omnium difficilimè propter maiorem contrarietatem in ignem mutabitur, indeque fit, vt longius tempus ad incendium requirat, & accensa propter substantiæ lentorem, maioremque cum frigido humiditatem (quæ ignis pabulum est) diutiùs perduret. Vnde cõstat longè distare facilitas incẽdij, à facilitate putrefactionis, cum biliosus humor faciliter incendatur, propter siccã tamen, quam habet qualitatem, difficulter putrefiat: pituitosus contra facilè putrescat ob humiditatem, & propter eandẽ simul cum frigiditate difficulter incendiũ suscipiat. Non enim eadem est ratio putredinis, & incendij, nam licèt humores incendi nequeant ad statutos circuitus concitandos, nisi prius putrefiant; fieri tamen contingit, vt putrefacti non incendantur, donec ad incendium sint paratissimi. Non igitur contractæ putredinis conditio efficere valet circuituum determinatum reditum (vt Saluus opinatus est) sed humorum putrefactorum propria natura, vt ei⁹ præceptor Altimarus (quem impiè redarguit) existimauit. Eam siquidem ob rem, putredo incendij, & reditus febrium per statuta tempora causa esse non potest, quia eadem putredinis natura in omnibus humoribus vna est, & hac ratione, quà putredo est, vnum, eundemque circuitum semper constitueret: videmus tamen diuersos humores putrefactos distinctos conficere circuitus; non igitur à putredine illis prouenit, quòd diuersis diebus incensi moueantur, sed potiùs à cuiusque humoris propria natura, vt pulchrè annotauit Altimarus argumento à definitione putredinis tradita à Galeno, qui putredinem substantiæ totius putrescentis corporis mutationem ad corruptelam à calido externo definiuit; vnde colligit vt optimus logicus, ac philosophus eximius, dictam putredinis definitionem, ex æquo omnibus humorum putrefactionibus conuenire, à putredineq; nõ habere

longè distat facilitas incendij à facilitate putrefactionis

in enarratione 12. aph. fol. 162.

putredo quid sit.

quòd

quòd per distincta tempora moueantur. Pituitosus igitur humor, frigidus, humidusq; cùm sit, & ambabus qualitatibus cũ igne pugnans, difficiliùs vtraque bile incendium suscipiet, qua ratione per longiora interualla debebat moueri, quia tamen incensus propter crassitiem, lentorem, atque tenacitatem tardè mouetur, & in foraminibus aliquot eius portiones inflammatæ retinentur, indè fit vt diutiùs perduret eius accessio, humorque de nouo coaceruatus disponatur ad nouum incendium ex diuturno calore, & portionibus, quæ incendium susceperāt in foraminibus relictis, quarũ gratia paulatim coaceruatus humor, vicinus cùm sit, contactu afficitur, & incenditur, secundæque accesionis festinantior sequitur inuasio, quæ cũ citius vna die fieri nequeat, eam ob causam quolibet die impetum facit. Hoc autẽ prouenit ex humoris propria natura, quæ authore Galeno, non solùm in temperatura, sed in consistentia consideratur: pituita enim, frigida humidaq; tẽperamento cum sit, substantia verò crassa, lenta, atq; tenax difficulter accenditur, & accensa diutiùs detinetur, igneumq; seruat calorẽ, qui nouum humorem aceruatum præparat ad incendium statim subsequuturum: ex natura igitur sua habet quòd à principio difficulter incendatur, & ex natura similiter illi cõuenit quòd incendium diutiùs detineat, ita vt accessio fieri nõ possit, quin per longam moram igneus calor de nouo congregatã pituitam præparet ad incendium statim futurum, & illius humoris portiones adhuc ignitæ in foraminibus relinquantur suo contactu incendium festinantes. Non igitur contractæ putredinis conditio in pituitoso humore in causa est, vt per quotidianos circuitus moueatur, sed eiusdem humoris propria natura, idest, substantia, ac temperies: licet enim quantùm ad eius naturam spectat, minùs opportunus accesioni humor sit, quàm flauabilis, ex sua natura quoque habet, quòd accensio magis in eo detineatur, & non integrè desistat in relictis portionibus, quæ non omnino in præcedenti accesione fuerant expurgatæ: secus quàm in bilioso humore, qui vniuersus in accesione exoluitur, ideòque exigua relinquitur occasio vt qui de nouo aggrega-

3. de temp. cap. 4.

aggregatur humor,ita cito ad incendium præparetur, quantò enim biliosus humor pituitosum excedit opportunitate ad incendium,tantò etiam,imo multò magis exceditur à pituitoso in accensionis diuturnitate,eo quòd biliosus integrè expurgatur,ob quam causam qui de nouo aggregatur, tardiùs accenditur: pituitosus verò non integrè expurgatur,ideòque de nouo congestus ob relicti, & adhuc accensi propinquitatem, & miscellam citiùs incenditur. Igitur non in putredinis contracta conditione consistit statuta circuituum ratio, sed in humoris propria natura,si enim ex Aristotelis sententia putredo proprij,naturalisque caloris in vnoquoque humido existentis corruptio est ab externa caliditate prouenienens, erit proculdubio eodem modo cuiusvis humoris illa sit, quà igitur biliosus humor putrefactus est,eandem habebit rationem putredinis, quam habet pituitosus putredine affectus,aut melancholicus, in ratione igitur putrefactionis non magis vnus quàm alius quotidie,aut per tertios,vel quartos dies mouebitur;qui enim prima dialectices rudimenta didicerunt, hominem, & equum quà animalia sunt,eandem habere rationē intellexerunt, quà verò alius risibilis, alius hinnibilis, ex propria cuiusque natura perceperunt. Neque conuincit ratio qua Saluus in præceptorem irruit,dicens,Si potissimæ causæ propter quas pituita per singulos dies,& bilis per tertios faciunt accessiones, essent ab Altimaro assignatæ,necessario sequi, quòd in biliosis continuis non seruaretur idem ordo,qui in intermittentibus: nā & si bilis ex natura sua (vt ille inquit) facilè accendatur, & in febre continua nunquam deficiat noua humoris biliosi portio,quæ ad puttedinem,& incendium disponatur, cuius gratia febris semper perdurat: tamen quia maior difflatur,& euacuatur copia singulis accessionibus, quàm de nouo putresiat, & accendatur die inter medio, & maior similiter disponitur secunda die,quàm putrefiat,& comburatur,inde est quod tertio quoque die continua biliosa magis exacerbetur, & videatur seruare periodum per tertium vt intermittens. Hoc autem à Saluo erat animaduertendum, antequàm debili adeò argumento

Non in contracta putredinis conditione consistit statuta circuituum ratio.

4. meteor. cap. 1.

fol. 164.

Defendit. Altimarus.

mento præceptorem conuictum credidisset qui periodorum
causas easdem cum Galeno assignauit, ad partium scilicet di-
spositiones referens, quæ vel mittunt, vel suscipiunt, vel gene-
rant, vel attrahunt superfluitates, quas aut ob earundem par-
tium imbecillitatem, seu obstructionem expellere nequeunt,
vnde fit vt putrefiant, & secundùm variam naturam putrefa-
ctorum humorũ, per tertios, aut quartos, vel per singulos dies
moueantur, febresque concitent, partium facultate expultrice
expellente, vbi quantitate grauant, & qualitate mordẽt: verũ
potissima causa certi, atque determinati circuitus in humoris
propria natura consistit.

QVOD AD COGNOSCENDOS MORBOS SVMENda signa sint non modò ab externis, sed ab internis etiam causis.

Depulsio nona.



MORBOS, cum effectus quidam præter natu-
ram sint, suas habere causas vnde proueniant
necesse est, nihil enim sine causa fieri posse,
vniuersa philosophorum, ac medicorum pro-
clamat schola. Est autem causa Galeno autho
re, quæ suapte natura ei quod fit aliquam suæ
generationis partem inducere potest, erit igitur causa, quæ in
corpore aliquid efficit, affectumque actionibus officientem ge
nerat: quod enim primò lædit actionem morbus est, id verò,
quod præcedit causa morbi nuncupatur, itaque à quo aliquid
per se Fit, id omnino causa eius, quod fit dici debet. Morbificæ
igitur causæ (quarum cognitio ad medicum pertinet) in ex-
ternas, internasque diuiduntur: externæ eæ sunt quæ forinse-
cus incidentes, corpora alterare, aliquouè læsionis modo affi-
cere valent, dicunturque procatarticæ, seu primitiuæ, præinci-
pientes, vel antegressæ causæ, quæ rectè etiam euidentes (quẽ-
admodum & internæ abditæ) appellantur. Ab euidentibus im-
becillia potissimùm corpora quàm maxime afficiuntur, quæ
enim virium prestantia pollent, externarum causarum noxam

lib. de symp. diff. cap. 1.

Causa quid sit.

quæ sint causæ externæ.

Imbecillia corpora à causis euidẽtibus maximè afficiuntur.

vix percipiunt,earumq; iniurias contemnunt: huiusmodi causæ vbi noxam induxerunt,absistunt,nec manent,vt sol,frigus, balneum,& id genus reliqua, si quis enim æstu laborans in febrem incurrat,aut frigoris excessu in congelationem, absente æstu,& frigore febrem,congelationemq; patietur; ac proinde causæ dicuntur,quæ confecto opere discedunt. Internæ verò, seu abditæ,& quę in animali ipso consistunt, siue affectus sint, siue motiones præter naturam,alię morbum pręcedentes causæ,siue antecedentes nominantur in genere;(quæcūque enim intra corpus præter naturam consistunt, ad quæ protinus affectus sequitur functiones lędens, generatim causæ antecedentes meritò dicuntur) alię verò in specie continentes,& aliæ nomine generis antecedentes etiam vocantur. Continētes sunt, quibus positis ponitur effectus, & semotis semouetur, quo enim tangente afficimur, & separato cessat affectus,id causam esse continentem apud omnes in confesso est:vt vitrea pituita in colico morbo ab eiusdem frigida intemperie, posita enim in intestino, dolor emergit, & euacuata simul morbus aufertur. Antecedentes verò causę in specie (generis nomine gaudentes,quoniam particulare non habent, quo nominari possint) illæ dicuntur,inter quas,& morbum,nullum est medium, eamq; ob rem immediatę causæ appellantur, in hoc à continentibus differentes, quòd immediatę cum sint,eis ablatis remanent affectus, continentibus verò (quæ etiam immediatæ sunt) nō persistentibus,ipsi etiā affectus nō manent. Vtilis autē est morbificarū causarū cognitio ad morborū dignotionē, dicente Aristotele cuiusq; rei scientiam sine causarum effectriciū notitia haberi non posse, quod de manifestis causis notissimū est, suaptè enim natura quicquam agentes sensibus deprehenduntur,conspicuæq; apparent, ex quibus sumimus indicia, & signa ad cognitionem affectuum pręternaturā,qui ex ipsis proueniunt,non enim aliunde aptiùs effectus cognoscitur,quàm ex suę causę agnitione: internę verò, seu abditę causę cùm sensu non percipiantur, indigent externis indiciis, quorum ope cognosci valeant; his verò cognitis statim morborum ex

Docēte Gal. li. de morb. causis. c. 2.

Internæ causæ, aliæ morbum præcedentes, aliæ continentes dicuntur.

Causa continēs quæ sit.

Quæ sit causa antecedēs, & suæ species.

In quo differant causæ antecedentes, seu immediatæ, à continentibus.

2. post. c. 2.

ipsis emanantium naturam intelligemus: vt si quis laboret febre, non percipiet medicus an tertiana, quartana uè futura sit, nisi prius per externa indicia cognoscat, abundare bilioso, melācolicoue humore, quo cognito statim iudiciū feret de febris specie, quæ tanquàm effectus sequitur naturam suæ causæ, nēpè humoris pultrefacti febrem ipsam concitantis. Ad dignoscendos igitur morbos, non modò ab externis, sed ab internis etiam causis sumenda signa sunt, vt optimè Argenterius existimauit, cuius sententiam tanquam ridiculam ex eo reprobauit Saluus, quia cùm intēdamus cognoscere morbum vt fit ex hac, vel illa causa, si causa est ignota, & quæritur, existimauit non esse possibile ex ea signum sumere: non intelligens quòd interim dum ignota est, ex ipsa quidem (vt asserit) iudicium non sumetur, at vbi nota fuerit per externa signa, morbi, qui ex ipsa proficiscitur indicium præstabit: specialium enim, & determinatarum febrium signa ostendunt humores febres ipsas gignentes, quos prius cognouimus redundantes, aut putredine affectos per apparentia indicia, quæ ex anni constitutione, tempore, ægrotantis natura, ætate, eorum quæ excernuntur substantia, colore, ac sapore, regione, accidentibusq; ab ipsis humoribus, qui redundant, aut putrefacti sunt manantibus, pro ratione loci, quantitatis, atque qualitatis eorundem, quibus tandē in humoris morbum gignentis naturam exactè ducimur, eūq; tanquam causam determinati effectus quem scire curamus, intelligimus. Licet igitur ab internis morborum causis, cum occultę sint, morborum speciem, quæ nos etiam latet, dignoscere non valeamus (ignotum enim per ignotius sciri nequit) quando tamen iam dictæ causæ cognitę sunt ex indiciis nobis apparentibus, quæ earum naturam exponunt, tunc ex eis tanquam notis morbi determinatam cognoscimus speciē, vt fit ab hac, vel illa causa. Scire enim est rem per causas cognoscere, referēte Aristotele in libro de demonstratione, siquidem tunc nos scire putamus, cum causas primas, principiaq; prima, & vsque ad elementa cognoscimus. Neque ob id negamus causas etiā per effectus dignosci, cum enim relatiua sint, eorum vno cognito,


In cō. aph. 12. fol. 170

Defenditur Argent.

gnito, alterum cognoſci neceſſe eſt, ſicque effectus per cauſas, & cauſæ per effectus dignoſcuntur: quando autem qualis ſit affectus, & qualis etiam cauſa vnde proueniat ocultatur, in primis externis ſignis cauſam cognoſcere curamus, vt ea cognita, qualis effectus ſit facillimè innoteſcat. Si quis enim febre corripiatur, immoderatus calor, quo laborat, à quouis medico tangente perſentitur, & cognoſcitur, an verò febris illa, tertiana, quotidiana, quartanauè ſit, non percipiet, donec redundantē humorem per externa indicia exactè cognouerit, à quo putrefacto, & accenſo tanquam à cauſa febris fuerit ſubſequuta, cognitaq; humoris ſpecie, eiuſq; quantitate, qualitate, atq; putrefactionis loco, ſtatim intelligit quæ febris illa ſit, & ſub qua differentia contineatur. Manifeſtum igitur eſt ad morborum exactam cognitionem ſumenda eſſe ſigna ex internis cauſis, vt Argenterius opinatur, caueatq; Saluus ne dum doctiſſimi viri ſententiam ridiculam exiſtimat, ſuam proferens magis ſit irridendus.

IN CVRATIONE ANAXIONIS PLEVRITIDE laborantis, Hippocratem non ſecuiſſe venam ante octauum diem, quia curationem fomentis prius tentandam ſine venæ ſectionis, aut purgationis auxilio exiſtimauerit.

Depulſio decima.



T ſi Hippocrates in libris de morbis vulgaribus lucubrationes curationis non inſtituat conſcribere, ſed preſagationis potiùs, vt Galenus inquit, neceſſe tamen habuit ad preſagia proferenda interdum referre nihil ægrotos ab ijs, quæ offerebantur adiutos fuiſſe, vt malignitas morbi rectius perpendi poſſet, quemadmodum fecit in Anaxionis hiſtoria, de quo retulit, cū dextri lateris aſsiduo dolore laboraſſet, febreq; acuta, & fotibus curationem intenderet, quia ſexta die deliraſſet, fomentiſq; nihil remitteretur,

3. De morb. vulg. com. 3 tex. 79.

septima verò magis laborasset, ideo octaua cubiti venã secuisse. Ex quibus Hippocratis verbis colligere licet, Anaxionẽ laborasse laterali morbo ex crudis humoribus ortum ducente, curationemq; fomentis tentare voluisse, antequàm vniuersali remedio per venæsectionem, aut expurgans medicamẽtum vti cogeretur, vt doctissimè Altimarus existimauit. Non enim statim ac quis vera corripitur pleuritide, per valentiora auxilia curandus est, si facilioribus curari possit, siquidem cùm duplici via procedendum sit in curatione; aut translato ad aliàs partes, qui ad ægram confluit humore, aut in ægra contento foras expulso; in parua pleuritide, quia non reperitur in toto corpore humorum redundantia, satis erit contentum humorem in ægrotante particula foras expellere, fomentisq; resoluere, ideoq; Hippocrates lateris doloris resolutionem calidis fomentis tentandam esse præcipit; qua curandi via Galenus ægrotũ curasse absq; sanguinis missione testatus est, cuius sententiæ fuere Celsus, Alexander, Aetius, Paulus, reliquiq; classici authores. Nanq; ex calidorum fomentorum vsu, atq; medicamentorum, quæ digerendi per halitum, cutimq; rarefaciendi virtute pollent, vel exigua pleuritis curatur, aut maior humorum plenitudo demonstratur, quàm vt fomentis resolui possit, quo tempore ad maius auxilium per expurgans medicamentum, vel venæsectionem confugiendum: qua curandi ratione Hippocrates vsus est in Anaxione lateris dolore laborante, cui fomentis applicitis, cum dolor nihil remitteretur, febrisq; magis inualesceret, ac grauius in septimo laborasset, octaua die venam secare instituit. Quamobrẽ immeritò Saluus damnat Manardi sententiam asserentis Hippocratem non misisse sanguinem à principio, quia antequam sexta die delirasset, erat dubius, an indigeret sanguinis missione, vel expurgatione, existimabat enim si pauca inflãmationis materia extitisset, fotibus exolui posse, sicq; non forè necessaria magna auxilia per venæsectionem, aut purgationẽ: quia verò sexta die grauior morbus apparuit, septimaq; deteriùs habuit, ideò ad magnum se contulit remedium. Ratio autem qua nititur tan-

Lib. de med. corporis morb. c. 50.

2. de rat. vict. in acutis, tex. 1. 6. de morb. vulg. com. 3. com. vlt.

Col. 197. lib. 12. epist. 5.

Defenditur Manardus

titur tanti viri impugnare sententiam, nihil conuincit; & si. n. pleuritis, quà inflammatio est membranæ costas succingentis postulet venæsectionẽ, quam ægrotantis vires non repugnẽt, quando tamen adeò parua est quantitas humoris inflãmationem concitantis, vt fomentis exolui possit, nec tam multa humorum copia in corpore redundat, quæ postulet à læsa particula reuulsionem, tunc sanguinis missione opus non est, aut purgatione, magna enim auxilia dũtaxat illi postulant morbi, quos ob magnitudinem natura vincere non potest: in Anaxione autem à principio non adeò magna apparuit inflammatio, quoniam pathognomonica signa nõ inualescebant, donec sexta die delirauit, & multò magis septima laborauit, quo tẽpore cum fotibus non solueretur, necessum fuit vti magno auxilio per venæsectionem: siquidem si adeò grauis fuisset Anaxionis morbus, ad trigesimum quartum non protraheretur eius integra iudicatio, vt enim constat ex Hippocratis scriptura, vigesimo sudauit, febreq; liberatus est, & à iudicio rectiùs habuit, vigesimo septimo rediit febris, trigesimoquarto toto sudauit corpore, cessauit febris, in totumq; est iudicatus: quòd si peracutus fuisset morb⁹ à principio, quarto, aut septimo deberet finiri, si verò acutus, vndecimo, aut decimoquarto, qui vltimus acutorum morborum terminus est: quia verò à principio nõ habere acutiẽ ex proprijs, ac mox apparentibus signis intellexit Hippocrates, ideò primis diebus fomẽtis citra noxã curationẽ tẽtauit, quib⁹ si curatus nõ fuit Anaxion, saltim humorũ plenitudo, quæ occulta erat, apparuit, & quando cepit morbi acuties innotescere, statim sanguinẽ misit. Desinat igitur Saluus præceptorem damnare asserentem vtendum esse indifferẽter calidis fomentis, à principio in cuiusuis lateralis morbi curatione, vbi distincta notitia plenitudinis non adsit, si enim fomentis non cedat, humorum copia manifestabitur. Qua in re Hippocratem est sequutus, qui fotibus dolorem dissoluere primò tentat, non ignorãs inflammationes hac via curari posse, ac debere ex Galeni sententia asserentis optandã maximè esse earum curationem per digerentia auxilia: verùm vbi hic curationis

à Salui calũnia.

Defenditur Altimarus.

Lib. de inequa. intẽp. cap. 3.

Com. 3. 6. aph. sect.

tionis modus fuerit impeditus, immutandus erit, qñ nempè humorum in corpore redundantium copia extiterit; hoc etiã pacto idem Galenus fomentis oculorũ doloris curandos existimauit. Quamobrem admiror maximè quòd Saluus Altimari positionem ex eò non esse recipiendam contendat, quia dum morbus pendet ex magna causa, humorumque plenitudine, à fotibus nullatenus in ipsius curatione incipiendum sit, sed ab euacuatione potiùs, quæ dictorum humorum à parte læsa reuulsionem faciat: atqui si præceptoris sententiam rectiùs perpendisset, eandem protinus esse intellexisset, tunc enim à fotibus incipiendum existimauit, quando in pleuritide non adsunt signa, quibus à plenitudine foueri dignoscamus, siquidẽ per fotus vel curabitur affectus, vel occulta plenitudo fiet manifesta: cum verò signa apparuerint plenitudinem ostendentia, ab euacuatione incipiendum nunquam negauit. Dictam igitur methodum prudentissimus Hippocrates in Anaxionis curatione obseruauit, cùm enim à principio plenitudinis notæ non adessent, à fotibus eam fuit auspicatus, tentans an citra magnum auxilium curari posset, donec procedente ægritudine per fomenta, plenitudine (quæ antea occulta erat) manifestata, maloq; intensiùs vrgente, venam secare decreuerit. Saluus verò in Anaxionis morbo plenitudinis signa à principio inesse Hippocratem cognouisse ex eo affirmat, quòd non tantùm octaua die, sed in primis etiam diebus venam secuerit; fecisse autem mentionem de venæ sectione octauæ diei, quia non erat consuetum fieri illa die, non autem quia fuerit prima, cum aliis etiam diebus ante octauum, sanguinem misisset, subticuisse tamen tanquam notum, & consuetum: cum verò nullibi Galenus fidelissimus Hippocratis interpres id exposuerit, dictam opinionem tanquam figmentum quoddam rationibus impugnare superuacuum censemus.

Fol. 198.

Docente Galeno li. 9. de Hip. & Platonis decretis. cap. 6.

QVOD

QVOD IN VASORVM SOCIETATE FIBRARVM rectitudo seruanda sit, eamque esse necessariam in sanguinis missione è directo partis affectæ.

Depulsio vndecima.



T succus, aliquoduè excrementum in partem quampiam succedat; necesse est aut ab alijs in eam compelli, aut ab eadem parte trahi: alias quidem partes expellere facit, aut succi, excrementiuè redundantia, aut malicia, seu partis dolor, ad quam expulsio fit, qui aliarum circumiacentium vim expellendi excitat circa dolentem partem sese comprimentium, succumq; in illam compressione emittentium; vnde fit vt successione ad id, quod euacuatur à longinquis etiam partibus succi moueantur: eandem verò particulam recipere cogit eiusdem propria imbecillitas: attrahi succum, aliquoduè excrementum, aut aliam quamuis rē tunc demum cognoscimus, quando cum interuentu caloris, vel proprietatis, totiusuè substantiæ similitudinis, seu successionis eius, quod vacuatur, tractio fit; non est enim idē tractio ab aliqua parte, quod receptio in eadem; multa enim recipiuntur, quæ ad partem mittuntur, cùm tamen ab ea non tranhantur. Hęc dicta sunt, vt rectius perpendi possit, quomodo sanguis effundatur, trahaturq; venæ sectione; tractionem enim aliquam à parte vulnerata fieri conspicimus, quādoquidem brachiorum frictiones, ligaturæ, & aquæ calidæ superinfusiones, quibus venæ sector vti solet, necessario aliquam tractionem moliuntur, non tamen ita effatu dignam, vt tantam sanguinis copiam trahere possint, quanta vnica venæ sectione mitti solet. Effunditur igitur sanguis à propinquis partibus extractus, à longinquis verò trahitur successione ad id, quod euacuatur, expultrice vi, quæ in neruis est fluxui sanguinis adminiculante, vbi venæ ipsæ adeò sanguine fuerint replete, vt corpori grauitatem inducant: fusio autem sanguinis non intermittitur, vt euitetur vacuum, propriaq; continuitas seruetur: Si verò sanguis

Authore Gal. 13. metho. c. 3.

Galeno docente in lib. de fac. nat. & 2. de diff. feb. c. vlt. et 5. de simpl. med. facult. cap. 16.

Quomodo per venæ sectionem sanguis fundatur trahaturque.

guis mittitur citra redundantiam, aut acrem qualitatem, quę expultricem facultatem incitare valeat, tunc nulla expulsione sanguinis missio fiet, sed tantùm successione ad id, quod euacuatur, & tractione, quæ arte molitur. Cùm autem ars naturam imitetur, eā rectitudinem seruabit in venæsectione, quàm natura in fluxibus spontaneis (qualis esse solet fluxus sanguinis è naribus) seruare solet, natura verò in suis euacuationibus fibrarum rectitudinem obseruat, quarè & ars similiter eā seruabit in sanguinis missione, est enim familiarissima naturæ obseruatio, quæ rectitudinis est circa suas euacuationes, quæ etiā in abscessibus consideratur, siquidē deponit pars quęuis sua excrementa in eiusdem lateris partes, potiusquàm in contrarij, cùm videamus ex hepatis plenitudine in dextro inguine magis bubones fieri, ex lienis verò in sinistro, sicq; Galenus sanguinem recto cursu fluere debere existimauit ex dextra nare ꝓpter hepar, & ob ea, quæ sub dextro existunt hypochondrio, ex sinistra verò propter lienem, & vicinas partes: quamobrem cùm natura secundùm rectitudinem, atq; directionem euacuet, manifestum sit, & artem idipsum efficere. Rectitudo autem, ac directio non modò in locorum communione, sed etiam in fibrarum ratione consistit, quibus natura ad sua munera exercenda vti solet, sicq; Galenus hāc rectitudinis legem ita obseruat in ijs euacuationibus, quæ arte fiunt, vt membrorum societatem, rectitudinemq; seruare iubeat, dextrorum scilicet cum dextris, sinistrorum cum sinistris, superiorum cū superioribus, & inferiorum cum inferioribus: Cum igitur quæuis superior pars laborat, brachiorum venæ secandæ sunt; pedum verò, cùm inferior pars afficitur; cùm dextra in brachio, aut crure dextro; cùm sinistra in sinistro. Quamobrem Petrus Brissotus, & Vesalius oculatissimi naturæ scrutatores, præter partium communionem, rectitudinem etiam obseruandam esse per fibras existimarunt: non est enim idem communio, & rectitudo, quod facilè constat in lateris inflammatione, cùm ēnim huiusmodi affectu quis laborat, ex brachio venam internam eiusdem lateris secundùm rectitudinem Galenus secandam

Ars in venæsectione imitatur rectitudinem fibrarum quā natura ī suis operationibꝰ seruat.

3. de cris. cap. 3.

Rectitudo, & directio, in locorum communione, & fibrarum ratione consistit.

Nō est idem communio, & rectitudo.

dam præcipit, quod non faceret, si communionem, & rectitudinem pro eodem reputasset, non enim maior est communio cum parte laborãte venæ incisæ in dextro brachio, quàm eius, quæ in sinistro reperitur, cum æquè per axillares venas cauam participent, ad quam à iecore tanquam ad cõmune promptuarium sanguis fluit: qua ratione non magis in dextro, quàm in sinitro latere foret secanda vena in morbo lateris sinistri, nisi rectitudo fibrarum, quæ dextrorum cum dextris, & sinistrorũ cum sinistris consideratur, ab eadem parte affecta sanguinem esse mittendum suaderet; quo enim modo dictæ fibræ auxiliãtur naturali partium facultati tractrici, quibus tanquã instrumentis huic muneri aptis vtitur, sic partium frictiones, calida balnea, & demum venarum incisiones sanguinis tractionem per easdem fibras faciunt; ad sanguinem autem fluentem successione ad id, quod euacuatur (etiam si natura tractionẽ tunc non operetur) conducunt quidem fibræ ob suam rectitudinem illum ad proprium latus ducentes, per quod ipse sanguis fluere cæpit; quemadmodum si duos æquè distantes, & æquales riuos ab vtraque parte secundùm eandem rectitudinem ex aquæ canali deducas, & si ex canali ambo æqualem faciant euacuationem, cum æquè illum participent, dexter tamen riuus magis ex dextra parte sinister verò magis ex sinistra propter dictam rectitudinem euacuabit. Eamq; ob causam Vesalius cùm animaduerteret venam sine coniuge à venæ cauæ dextra parte ortum ducere, vbi dextrum cordis sinum est egressa, indeq; in nouem inferiores coctas tam dextras, quàm sinistras disseminari, rectitudinis fibrarum ratione in morbo laterali occupante membranam dictas nouem costas succingentem tam dextro, quàm sinistro latere perpetuò à basilica dextri lateris euacuandum existimauit. Cuius sententiam impugnat Saluus; *in com. aph. 21. fol. 303* rationes verò, quæ ab eo adducuntur nihil concludunt: prima autem est, quòd Galenus dum rectitudinis mentionẽ facit, *1. de fac.* nunquã de fibris meminerit, cui responsum sit, de fibris ipsum *nat. c. 14.* pertractasse in naturali motu facultatũ, attrahit enim pars per *& 3. c. 15.* fibras rectas qđ sibi naturale est, quãobrẽ vt diximus ꝑ easdẽ

I fibras

fibras in venæ sectione ars naturam imitando trahere quoque debet, frictione partis, aquæ calidæ super infusione, & apertione venæ facta sanguinis tractione, qui deinde fluit successione ad id, quod euacuatur, parte non trahente, ipsis tamen fibris adminiculantibus. Non enim quia deseruiunt naturæ, ob id sequitur arti nihil proficere, quinimo cùm sæpius ab Hippocrate, & Galeno dictum sit, quò natura vergit per conuenientem regionem, eò arte medicum ducere humores conuenire, manifestum relinquitur per quas fibras natura trahit humorē, per easdem etiam artem trahere debere: & quemadmodum fluxioni humorum dum trahuntur à natura, partis fibræ oblongæ conducunt, sic fluxioni sanguinis arte molitæ etiā conferre necesse est. Quarè cum Galenus in naturali tractione fibrarum rectitudinem considerauerit, nihil mirum quòd in ea, quæ arte fit, fibrarum rectitudinem intellexerit, vasorumq; societatem nuncupauerit, quoniam vasa per fibrarum rectitudinem adinuicem sociantur. Secundò conatur Vesalij sententiā excludere de rectitudinis fibrarū necessitate in sanguine mittendo, quia opinatur eum falsò supposuisse quamlibet euacuationem fieri vna parte trahente, & alia expellente, inquit enim, id nec in purgatione, neque in sanguinis missione contingere, in quibus Hippocrates, & Galenus, rectitudinem seruandam esse iusserunt: quarè concludit fibras non esse necessarias ad dictas euacuationes, sicque per rectitudinem nullo modo intellexisse eam, quæ in fibris à Vesalio consideratur. Si verò semel probauerimus vtramque euacuationem fieri vna parte trahente, & alia expellente, doctissimum virum à calumnia vindicabimus, eiusque sententia clarior euadet. In primis autem in ea vacuatione, quæ per expurgans medicamentum fit, compertum est proprios humores trahi à medicamentis expurgantibus similitudine totius substantiæ, taliaque omnia calida esse oportere, Galeno asserente quòd inter ea, quæ substantijs similia sunt, calidiora ad trahendū potentiora sint, quia caliditate tractioni auxiliantur, atq; inde euenire vt medicamentum trahat humorem, non tamen ab ipso trahatur,

Defenditur Vesalius.

quòd

quòd calidius sit, & tractio à calore iuuet eam, quæ à substantiæ similitudine fit: verùm medicamentum nō trahet propriū humorem, donec à partis, in qua continetur, calore actuetur, quarè partis etiam calor plurimùm facit ad tractionem. Qua igitur ratione à partis calore, & similitudine trahitur succus pro sui nutritione per fibras rectas, sic etiam à medicamenti calore, & similitudine cum proprio humore, & à partis etiam calore in qua medicamētum continetur, familiaris trahetur humor per easdem fibras: & quemadmodum succi tractionem à parte naturaliter trahente adiuuant aliæ partes eundem succum redundantem propellentes per fibras propulsioni dicatas, sic etiam attractioni humorū, quę à medicamenti proprietate fit, simul cum partis calore auxiliantur aliæ partes noxiū humorem propellendo fibris expulsioni aptis. Constat igitur vacuationem per expurgans medicamentū fieri vna parte trahente, & alia expellente, atq; idipsum etiā in sanguinis missione experiri licere: nam vt diximus à parte vulnerata aliqua fit tractio, & à brachiorum frictione, ligatura, atque calidæ aquæ superfusione, deinde verò fluxio sequitur successione ad id, quod euacuatur, superiores verò partes vbi sanguinis copia redundat sua expultrice virtute sanguinem propellunt, fluxionique adminiculantur, vbi verò deficit, veneq; languidæ sunt, concidunt, & fluxionem sanguinis, atque continuitatem interrumpunt retento sanguine. Fit igitur sanguinis euacuatio vna parte trahente, & alia expellente, quemadmodum & expurgatio, vnde constat ad vtramque euacuationem, cùm à natura, vel ab arte fiunt necessarias esse fibras, per quarū rectitudinē, communionemq;, membrorum societas deprehendatur, earumque ratione in morbo laterali dextri lateris à dextro brachio, in eo verò, qui finitri est, à finistro mittendum esse sanguinem Hippocrates, & Galenus præceperunt: quòd si per rectitudinem, societatem membrorum sine vlla fibrarum consideratione intellexissent, non esset cur magis ab vno latere, quàm ab alio in cuiusuis lateris inflammatione sanguis mittendus fuisset, cùm æqualis societas sit cum vena caua, venæ axilaris

Vacuationes per expurgans medicamētū et venæ sectionē fiunt vna parte trahēte, & alia expellente.

 dextri,

dextri, ac sinistri brachij, quia tamen ratione fibrarum dictorũ vasorum, dextrarum nempè cum dextris, & sinistrarum cum sinistris, maior deprehenditur societas membrorum ex eadem parte affecta, ideo ex laborantis partis latere mittendum esse sanguinem iusserunt. Cùm verò Vesalius nouem inferiores costas tam dextras, quàm sinistras à vena sine coniuge nutriri videret, eamque à dextra parte venæ cauæ, vbi dextrum cordis ventriculum ascendit, ortum ducere animaduerteret, rectitudinis fibrarum ratione in inflammatione dextri, ac sinistri lateris occupāte prædictas nouem inferiores dextras, ac sinistras costas, semper à dextro brachio mittendum sanguinem consuluit. Nisi autem à venis axillaribus ante quàm exeant à iugulo vtraq; parte ramus vnus effatu dignus produceretur, qui disseminatur per thoracis musculos, & mammas, eorumque extremitates extremitatibus venarum proficiscentium à vena sine coniuge per anastomosin communicarentur, proculdubio Vesalij opinio conuinceret, quia tamen dictas propagines ab axillaribus disseminatas in corporum dissectionibus oculatissimi alij corporis dissectores inuenerunt modo, quo dictum est per thoracis musculos, & mammas repentes, mutuòque cum extremitatibus propaginum venæ sine coniuge communicantes, inde est quòd Vesalij opinio de venæ sectione in inflammatione membranæ succingentis nouem costas inferiores dextras, vel sinistras, non sit recipienda: non tamen ob id sua concidit sententia de necessitate rectitudinis fibrarum cõsiderandæ in venę sectione lateris affecti, vt Saluus opinatur, quinimo magis aperta, & conspicua fit: cum enim rami ab axillaribus prodeuntes ex vtroque latere per thoracis musculos, & mammas repentes, æqualiter easdem exillares participent, venarumque ab his proficiscentium oscula vtroque latere cum osculis earũ, quæ producuntur à vena sine pari, coniungantur, inde fit vt manifesta communio deprehendatur dextrorũ cum dextris, & sinistrorũ cum sinistris, cũ directione fibrarum, quæ in coniunctis vasis consideratur. Quod verò Saluus ex mente Amati Lusitani adducit de hostiolis, seu mẽbranis orificio venæ sine

pari,

pari, vbi à vena caua trahit originem, ita præfectis, vt liberum sanguinis introitum præbeant, exitum tamen non admittant, (quēadmodū in arteria magna, aut vena arteriali conspiciuntur, & se vidisse sæpiùs in anatomicis administrationibus, testatur) cùm nihil traditæ fibrarū rationi contrarietur, omittemus; id tamen afferentes, neq; à nobis diligenter id perscrutātibus cum anatomicas disectiones, in Complutensi, ac Pinciana schola publicè administrarem⁹, aut ab alijs peritissimis anatomes professoribus hucusq; fuisse obseruatum, semper enim tam expeditus sanguini egressus ab hac vena, quàm in illam ingressus deprehenditur.

QVOD SVB NOMINE TVRGENTIAE NON COMprehendantur humores omnes tenues acutum morbum cōcitantes, aut venefica qualitate infestantes, seu crassi multitudine grauantes.

Depulsio duodecima.



CVM Altimarum, atque Manardum doctissimos viros, Saluus calumniatur, asserentes vtendum esse expurganti medicamento ante materiæ coctionem, non modò cum turget, sed vbi multitudine grauat, præcipuumq; membrum occupat, aut venefica qualitate offendit, ipse in grauissimum incidit errorem, existimans hęc omnia ab Hippocrate sub turgentiæ nomine contineri: quòd quàm falsum sit, intelligent qui veram naturam turgentiæ in humoribus comprehenderint, quam Galenus explicauit sumpta similitudine ab animalibus, quæ ad coitum properant, dicens verbum ὀργᾶν, hoc est, turgere, translatum esse ab animalibus cōcubitum appetentibus ad humores, nam sicut ista stare loco nequeunt quadā titillatione impulsa, eoq; affectu cōcitata: sic & humores plerunq; in motu vehementiori, atque transfluxu à partibus ad partes, in morbi principio hominem infestant, mouentes, titillantes, & quiescere non permittētes, cùm & ipsi pariter

in enarratione 22. aph. 1. sect.

pariter moueantur, & transfluant, & tanta latione ægrum molestent: ideoque à principio euacuandos per expurgans medicamentum Hippocratem consuluisse asserit, rarò autem turgere humores affirmat Hippocrates, quamobrem concludit rarò ante coctionem purgandos esse, in principio autem morborũ crudi semper existunt humores, in principio igitur rarò sunt euacuandi, hoc est, solùm dum turgent, quia tunc sunt in motu, & latione, & fluxu. Hanc autem conrfimans sententiam dixit, in acutis passionibus rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vtendum, & hoc cum præmeditatione faciendm: id autem exponens Galenus inquit, quòd circa principia acutarum ægritudinum tantùm, contingit aliquando purgare vtiliter, nam in longis morbis semper oportet expectare coctionẽ, in acutis verò, cùm turgent ab initio possumus vti expurgantibus medicamentis, & hoc ipsum cum multa cautione, & præmeditatione, considerando nunquid æger idoneum se habeat ad dictam purgationem, nam & si humores turgentes (tenues cum sint) nullum lentorem participent, & ob id, fluxui parati existant, oportet tamen considerare num aperta sint foramina, per quæ debet purgatio fieri, ita vt nullam habeant obstrũctionem, eamque ob causam Galenus asserit ab Hippocrate dictum fuisse, corpora vbi quis purgare voluerit, oportet fluida facere. Verùm in acutis morbis quando humores turgent, cũ circa primum diem, vel nõ vltra secundum vsuri sumus expurgantibus medicamentis, non datur facultas ista præparandi, viasque aperiendi, nisi quis forte arripiat occasionem ante medicamenti exhibitionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigoni, vel thymi, aut pulegij. Quibus Hippocratis, & Galeni verbis manifestum fit, nõ in omnium acutorum morborum principijs vtendum esse purganti medicamento, nisi eorum duntaxat, qui à turgentibus pendent humoribus, raròque tales inueniri, quia rarò etiam humores turgent. Quarè ineptè Saluus opinatur morbos omnes acutos ex turgenti materia obortos esse, quia celeriter ad finem moueantur, ideoque in ipsorum principio expur-

22. apho. primæ sect.

24. apho. primæ sect.

9. apho. 2. sect.

In enarra-

expurgantibus medicamentis vti oportere: non enim est idem celeriter moueri, & cum turgentia ad motum concitari, neque ad conuertentiã dicuntur; qui enim humores turgent, celeri mouentur motu, non tamen qui citissimè mouentur, vt turgẽtes sint necesse est, sequeretur enim cum sępissimè humanum corpus in acutas febres incidat, sępissimè etiam turgẽtes in eo humores procreari, non autem rarò, vt Hippocrates testatur: nam & si turgere, referri possit non solùm ad causam morbificam turgẽtem, sed etiam ad morbos ab ipsa exortos, vt Saluus ait, non negabit tamen quod vbi causa non est turgens, neq; etiam morbum turgentem generabit. Qua igitur ratione probatum est, non omnes acutos morbos turgere, nisi illos duntaxat in quibus materia de loco ad locum concitato, & titillante motu mouetur; eadem conuinci debet, humorem pestiferum qui fixus sit, nec à loco in locum assiduè moueatur, turgentem non esse, etiam si sua qualitate venefica cor inuadat, similiterq; crassum humorem, aut maiori quãtitate redundantem, quàm à natura conuinci possit, aut præcipuum membrum infestantem, turgentem secundùm Hippocratis, & Galeni mentem appellari non posse: quomodo enim crassus cùm sit, celeri motu à parte in partem mouebitur, & loco stare non poterit? vt autem has Saluus subter fugiat rationes Galeno, imponit turgentiam humorum non eam solùm existimasse, qua huc, & illuc vagantur, & concitantur, sed illam celeritatem, qua ad finem mouentur citra agitationem de loco ad locum, citans eius verba in primo de crisibus, quæ sic habent. Turgere dictum est de animalibus incitatis ad coitum, translatum verò ad morbos, qui properant, & celeriter mouentur ad finem præcipuè verò cùm laborantis sensus ab inordinata humorum, & spirituum agitatione irritantur, vnde infert duplici modo turgere materiã, vno cùm mouetur incõstanter de loco ad locum: altero verò, quando celeriter mouetur, & ad finem properat, cùm autẽ in omnibus morbis acutis humores celeriter moueantur, & ad finem properent, hac saltim significatione turgentiam habebunt, sicque à principio erunt euacuandi. Verùm dictis verbis nihil

tione 22. apho. fol. 335.

Non est idẽ celeriter moueri, & cum turgẽtia ad motũ concitari.

humor pestiferus qui fixus est, turgens esse nõ potest.

Crassus humor etiam si quãtitate redundet, aut mẽbrũ præcipuum infestẽs turgẽs non est.

cap. 9.

nihil aliud Galenus intendit, quàm ostendere duo esse necessaria ad constitutionem turgentiæ in humoribus, primum quòd celeri moueantur motu, secundum verò, quòd de loco in locũ inordinata agitatione irritentur: non igitur inordinatim agitati, & irritati humores de loco ad locum, sine celeri motu turgentes erunt, neque celeri motu concitati absque inordinata de loco ad locũ agitatione turgidi appellabuntur, sed illi duntaxat, in quibus vtrunq; reperitur. Malè igitur colligit Saluus ex eo, quòd celeriter ad finem properant humores in morbis acutis, turgentes esse; idem enim est, ac si colligat, Calliam esse hominem, quia animal sit. Quòd verò asserit ex Hippocrate, extremis morbis extrema exquisitè remedia conuenire, nempe venæ sectio, aut purgatio, ideoque vtendum esse expurganti medicamento ante coctionem in acutissimis morbis, cùm extremi sint, nihil contradicit propositæ sententiæ de turgentis humoris natura. Vtimur enim venæ sectione, & purgatione in principio peracutorum morborum, vbi à turgenti materia pendent, quòd si turgens non est, spectanda erit eius cōcoctio ante purgationem si morbus dat inducias: sin minùs, respectu peccantis humoris nunquam molienda est euacuatio per expurgans medicamentum, quoniam crudus cùm sit, retinetur à natura, vt concoquatur, etiam si medicamentum illum sua facultate trahere intendat: Ideoque Galenus in longis morbis semper spectandam esse coctionem suadet ante expurgantis medicamēti exhibitionem, & in acutis similiter, nisi turgeant; tunc enim nulla expectata coctione eadem die purgare oportet, dicente Hippocrate, medicari in valde acutis eadē die conuenire, si materia turget. Quarè idē Galenus concludit cauendum maximè esse à medicamēto expurgante, cruditate in succis apparente, comparat enim humorum coctionem in venis, coctioni inflammationis, nam quemadmodũ quæ inflammata sunt ante coctionem neq; medicamento, neq; aliter soluuntur, etiam si inflammata particula per mediũ fuerit incisa; tunc enim nihil crudæ materiæ detrahi potest: sic in morborum initijs, cùm crudus humor sit, nihil expurganti medicamēto euacuabitur.

turgētes humores nō solũ celeri mouentur motu, sed etiã inordinata agitatione irritantur.

1. sect. aph. aph. 6.

in com. 24. aph. 2. sect.

4. aph. sect. aph. 10.

4. de rat. vict. cō. 43. & lib. quos & quando.

cuabitur. Dictam de inflammationibus sententiam proposuit Hippocrates quarto de ratione victus in acutis in hæc uerba. Quicunque phlegmone obcæsas partes medicamento, aut ferro soluere conantur, ij à parte intẽsa, inflammataque nihil auferunt, quin potius quæ morbo resistere possunt, & sana sunt, absumunt, & Galenus transfert sententiam ad omnes morbos, qui ex concoquenda materia pendent: præsertim quòd coctioni confert quies, & moderatus calor, purgantia autem medicamenta immodicè calida sunt, & vehementer mouent, quarè nullatenus sunt exhibẽda ante coctionem, etiamsi morbus vehementissimus, acutissimusque sit, nisi à turgentibus pendeat humoribus, qui tenues cùm sint, & de loco ad locum impetu quodam, & concitato motu moueantur, medicamento ex purganti cedunt, licet eorum coctionem semper natura intendat. Hanc confirmans sententiam Hippocrates dixit, cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: Cùm verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere, quam exponens Galenus, inquit, circa initia illorum morborum, in quibus speramus ægrotum conualiturum, tentãdum esse maiora afferre remedia: de quibus Hippocrates dixit, si quid videtur mouendum, moue: sunt autem hæc, maximè venæsectio, nonnunquam verò & purgatio, quorum neutrum oportet morbo iam consistente adhibere, quia coctiones tunc maximè fiunt, & vt citiùs eueniant melius est in principiis partem turgentis humoris euacuare, quò minorem iam factam materiã natura faciliùs possit cõcoquere. Cũ enim turgẽs humor in morbi principio à mẽbrorum retentrice virtute cõtineri non posit, nõ solũ ob prauã qualitatẽ, sed ob nimiã eius quantitatẽ, hac minorata residuũ cõtineri, & cõcoqui poterit; quod in aliis humorib⁹ nõ turgentibus euenire nequit, quoniã in morborũ principiis interim dũ cõcoquuntur, retinẽtur, si uerò q̃d educitur, nihil tũc excernitur naturę rõne, docẽte Gal. quo tẽpore à causis morbũ faciẽtib⁹ natura grauatur: si adsit humorũ cruditas, tũc aliq̃d bene euacuari impossibile esse. Quã sententiã Salu⁹ interpretat esse verã, & ĩtelligi debere đ euacuatione

Tex. 22.

In com. dictæ sent.

Docẽte Gal. 4. de rat. vi. in acu. com. 44.

2. aph. sect. aph. 29.

In com. 22. 4. aph. sect.

atque crisi perfecta, quæ fieri non potest, nisi præcesserit naturæ victoria; non autem de imperfecta, quoniam existente cruda materia fieri solet à natura vtilis aliqua euacuatio, & ex cõsequenti iuditium ad bonum, licet incompletum. Dictam autem interpretationẽ colligit ex Hippocrate primo epidimion, dicente, coctiones celeritatem iuditij protendere, securitatemq; salubrem: cruda verò, & incocta, atque in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas, vnde infert, si cruditates inter alia significant recidiuas, necessariò prius inuerat crudorum humorum euacuatio, ægrumque à morbo liberauerat, succedente postea recidiua ob humorum prauorum reliquias post imperfectum iuditium. Ego tamen non video vnde valeat hæc consequentia, cruda significant recidiuas, ergo præcessit crudorum humorum vtilis euacuatio, imperfectum enim iudiciũ ad salutem terminatum nunquam ex crudis fit humoribus, sed ex imperfectè coctis, tales enim in morbis reperiuntur, vt eorum aliqui faciliùs, alij verò difficiliùs concoquantur, & à natura superentur: quamobrem expellente natura, quos concoxit, & superauit, sublatoq; morbo, qui crudi remanserunt post imperfectum iudicium, eodem Hippocrate asserente, recidiuas facere consueuerunt, sed ob id non sequitur, id quod præcessit vtile iudicium, crudorum humorum fuisse, vt Saluus opinatur: si enim crudorum esset, non conferret, contulit autem, quia ad bonum fuit iudicatio licet imperfecta; ex coctis igitur, non ex crudis humoribus iudicium fuit, imperfectum tamen, & non integrum; quæ enim iudicãtur, & iudicata sunt integrè, atque perfectè, non esse mouenda præcipit Hippocrates, neque aliquid nouandum, siue medicamentis, siue aliter irritando; perfectam autem appellat Galenus iudicationem, plenam, & indeficientem, in qua cuncta bene procedunt, & cui nullus numerus deficit iudicatorius: imperfectum verò, si quid deficiat, tuncque id, quod deficit, oportet adiungere, nam quæ post indicationem relinquuntur recidiuas facere consueuerunt. Quod verò Saluus affert ex Galeno, naturam in epi-

Com. 2. tex. 45. & 46.

2. aph. sect. apho. 12.

in epilepsia,& apoplexia,non coctionem,sed expulsionem humorum intendere, eamq; ob causam vbi princeps membrum ab acuto,& magno morbo offenditur, etiam si materia cruda sit,atque crassa,arte moliendam esse euacuationem per expurgans medicamentum,nihil profectò conuincit: nam vt Galenus refert,nulli mirum esse debet,si in epilepsia neruorũ principium conuulsiuo motu concutiatur, vt à se expellat quicquid fuerit id, quod à parte primò affecta ad ipsum effertur. Cùm autem & subitò fiat,& citò finiatur;aut sensu eorum,qui per consensum partis laborant fieri eam dicit,frigida aura cõscendente ad cerebri ventriculos: aut propria passione pituitoso humore eosdem ventriculos irrigante, viamq; animalis spiritus quodammodo intercludente: quod si à frigida aura conscendente fit,certum est per resolutionem,euaporationemq; terminari, cerebro se se concutiente, atque sua expultrice vi eam expellente: si verò ab humore pituitoso, cùm singulæ accessiones breuissimo tempore durent, pituita in flatũ vertetur,diflabiturque. Quemadmodum enim sternutamentum(parua epilepsia cum sit) cerebro vel demorso, vel à flatu pituitæ distento concitari solet, idipsum in integra epilepsia consonum est fieri, calore ventriculorum humores rarifaciente, & in flatus conuertente, atque expultrice vi per insensiles vias expellente:at huiusmodi naturæ expulsio non arguit arte moliendam esse euacuationem per expurgans medicamentũ, vt Saluus existimat,etiam si materia eruda sit,atque crassa: nõ enim natura humores crassos, atque crudos epilepsiam concitantes per secessum euacuauit,quare nec ars,eius imitatrix cũ sit,id efficit.Et multò minus,cùm quis apoplexia laborat,id cõtinget; nunquam enim eo in tempore tentat natura humorũ crassorum cerebri ventriculos replentium euacuationem per inferiora,quam efficere non valet; sed solùm eorundem à ventriculis remotionem, ad vicinasque partes propulsionem, vt animalis spiritus interclusæ viæ referentur,quamobrem,neq; illorum humorum euacuationis gratia medicus purgationẽ tentabit,quam dum crudi sunt consequi est impossibile. Neq;

3. De loc. pati. c. 1. & 2. de symp. cau cap. vlt.

Loco citato

Authore Hippocr. 7. aph. 52.

1. epid. cõ. 3. text. 28. & 30 & 3. epid. c. 3. textu. 77.

historiæ, quas adducit ex Hippocrate, suæ fauent sententiæ, cõstat enim Metonem febre fuisse correptum, & per fluxum sanguinis è naribus die quinta iudicatum, eique non cõtigisse recidiuam, quia crebrò sanguis etiam post iudicium profluxerat etenim (vt Galenus refert) à solo sanguinis profluuio, & iudicatus, & sanatus fuit, quamuis non omninò tuta signa haberet: habuit igitur aliqua ex parte coctionis signa ante iudiciũ, quod ex eiusdem Hippocratis scriptura constat, pendebant enim subnigra dispersa in subnigra vrina, erantq; iam aliqua cocta, & si non perfectè, quorum natura per sanguinis fluxum è naribus fecit iudicium, ideoque res bene cessit: quæ verò cruda remãserunt post iudicium, & per tenues vrinas significabãtur, ideo recidiuam non fecerunt, quia sanguinis fluxus perdurauit, & interim à natura fuerant concocta, & per conuenientem illam regionẽ euacuata. Præterea, mulier trimestri fętu grauida, cùm febre fuisset correpta, & quamplurimis doloribus, symptomatibusque grauissimis circa multas corporis partes vexata cum quarundam earum conuulsione, magnisq; vigiliis, ac deliriis, & alui perturbationibus, sitique grauissima; & si vrinæ tenues erant, & non boni coloris, cùm quinta die acutiori febre grauaretur, hypochondriorumq; dolore, ac planè deliraret, excrementaque alui biliosa apparerẽt, nocte sudauit, & febre liberata est. Huic igitur mulieri (vt ex historia constat) turgenti humore laboranti (mouebatur enim à parte in partẽ, grauissimaque eã concitabant symptomata) cum essent vrinæ albæ, & coloris non boni, tamen propter naturæ robur contigit superstitem esse, quòd nocte per sudores febrem discusisset, quod efficere valuit, etiã si crudi extitissent humores, propter eorum tenuitatem, facilemque de loco in locũ motionem, eos expultrice sua vi per cutis poros euacuans: non fuit tamen fidum iudicium, quoniam vt ex scriptura constat, & si per tres dies febris eam reliquit, quia quę remansit materia nõ erat cõcocta, & à natura superata, vndecimo rediit, & decimo quarto vomuit bilissa, flaua, copiosiora, denuoque sudauit, & perfectè liberata est: nã in venis, quæ erant (vt Galenus inquit)

melius

meliùs post quinti diei iudicium maturabantur. Non igitur ex hac historia quispiā vel mediocriter in Hippocratis, atque Galeni lectionibus versatus concludere poterit, nisi humores turgeant, ante coctionem vtendum esse expurganti medicamento: & multò minùs ex adducta Periclis acutissimo morbo correpti, horrendi quidem rudibus, cęterum breui iudicandi prudētibus, nam vt refert Galenus, cùm sublienoso primo statim die de sinistra nare copiosius profluxisset sanguis, vrinæ item crassæ essent, & non consisterent, in periculo videbatur versari, cùm verò altero die consisterent, melior erat de ægro spes: at postquam tertio die essent optimæ, & copiosissimæ vrinæ, clarum iam erat quarto die liberaturum hominem iri morbo. Optimè igitur Manardus, & Altimarus, atque ad Hippocratis, & Galeni mentem, solùm eum esse turgentem humorem dixerunt, qui motu agilis est, inordinatèque de loco ad locum mouetur, ac proritatur, de eoque Hippocratis, & Galeni sententiā esse intelligendā, qua ante coctionem in morborum principiis purgandum docuerunt, licet ampliari, & extendi dicant ad eum humorem, qui vel multitudine, vel praua, & pestifera qualitate vrget, aut circa principem partem decumbit. Quorū recipienda foret sentētia, si dictus humor celeriter, & de loco in locum impetu moueretur, sic enim natura expellēte, & medicamento trahente, posset minorari: at cùm crudus sit, neque celeriter de loco ad locum moueatur, eiusque coctionem à principio natura aggrediatur, & si medicamentum trahere sit aptum, nihil efficiet, naturali vi retentrice renitente: quam obrem, si quando ob prædictam vrgentiam medicamento expurgante vti cogimur in morborum principiis, non gratia expurgandi dictum humorem, sed reuellendi potiùs à parte pręcipua, id efficimus. Hippocrates enim non renuit in morborum principiis medicamentis esse reuellendum, sicque in apoplexia, medicamento expurgante crassum humorem statim à cerebri ventriculis reuellere curamus, vt euacuato corpore, successione ad id, quod euacuatur, humor in parte contentus foras trahatur. Et hac rōne Hippocrates si lateris dolor assi-

3. epid. com. 3. com. 77.

1. aph. sect. aph. 22.

duus

Lib. de vict. rat. in acut. cõ. 1. tex. 33 duus est, calidisque fomentis non remittitur, sputumque non procedit, sed extremè citra coctionem glutinosum est, dolorem, vel alui subductione, vel secta vena, pro vtriusque exigentia soluendum esse iubet: quod non ratione euacuationis humoris in parte cõtenti, sed reuulsionis potius ab ea parte successione ad id, quod euacuatur fieri contingit. Exigentiam autem purgationis ostendit, vbi eas, quę sub septo trãsuerso sunt partes dolor infestat, nullumque ad clauiculam signum fecerit, quanquam Galenus semper venæsectionem laudat, quòd ex ea nullum, quemadmodum ex medicamento purgante periculum impendat. Similis est ratio de exhibendo purgãte auxilio iis, qui pestilenti febre laborant, non vt noxius humor expurgetur, sed eam ob causam, quòd euacuato toto corpore per ventris fluxum, aut uomitum, præter quàm quòd humor à partibus præcipuis reuellitur, totum corpus exiccatur, exiccatio autem in pestilenti constitutione maximè desideratur. Adde in pestilenti febre aliquando humores ita esse corruptos, & putrefactos, vt omninò alieni à natura sint, quæ autẽ omnino aliena sunt (Galeno docente) naturæ suæ gratiam nõ recipiunt, ideoque ea educere quamprimum est tentandum, dicti autem humores cùm omnino putrefacti, & corrupti sint, nunquam a natura concoqui poterunt, quarè eorum concoctio non erit spectanda, præsertim quod natura ipsa, quos humores concoquere non valet semper conatur expellere, quarè, medicamento trahente adiuuanda erit: at Hippocrates nõ esse mouenda cruda dixit, quia coctionem recipere possunt, cum autẽ ea, quæ omnino putrefacta, & aliena à natura sunt, coctionem non admittant, cruda nominari nequeunt, ideoq; à principio euacuari debent: quod Hippocratis sententię non contradicit, quæ expectandam esse coctionem in humoribus docet, qui crudi cùm sint coctionem admittunt. Et hanc ob causam Galenus in alopeciæ curatione, quę ex humorum viciatorum redundantia oboritur, statim incipiendum esse ab eorum euacuatione præcipit, dicens, eo modo, quo plantæ aliquę resiccatæ corrumpuntur ob humoris inopiam; aliquæ verò ob

Lib. de vict. rat. in acut. cõ. 2. tex. 11.

Li. 5. de metha. me. ca. 12. & 1. de diff. feb. c. 12.

1. De sanit. tuenda. c. 3.

1. De comp. med. secundum locos, cap. 2.

rò ob commercium humoris ab ipsarum natura alieni; sic & capilli, aut propter humorum, ex quibus nutriri consueuerunt inopiam, aut propter eorundem vicium accidit vt corrumpãtur. Quamobrem cùm in alopecia humores ita viciosi sint, vt concoqui non possint, neque à natura ad benignum redigi, statim purgandos esse præcipit, quemadmodum & succos tenues aquosos, quales sunt Hydropem ascitem gignentes, & alia quæcunque aquea materia, hæc enim cõcoqui nõ possunt magis quàm aqua ipsa. Ex dictis igitur cuilibet manifestum iam erit, sub turgentię nomine haud contineri humores omnes tenues acutum morbum concitantes, aut venefica qualitate infestantes, seu crassos multitudine grauantes, quod pro defensione Manardi, & Altimari, probandum suscepimus.

QVOD IN APHORISMO VIGESIMOTERTIO primæ sectionis Hippocrates docuerit, quæ sit debita humoris, qui euacuatur mensura per signa sumpta ex conferentia, & cõferentia, & Galenus in enarratione per ardentissimas febres non solas sinochas, sed etiam continuas ex bile sanguinis missionem ad animi deliquium postulare crediderit.

Depulsio decimatertia.



NON promptam eorum, quæ euacuantur quãtitatis phantasiam oportet attendere (vt Galenus exponit) in quauis euacuatiõne, siue à natura, siue ab arte fiat; sed duas duntaxat notas, si qualia oportet euacuentur, & si facile tolerant ægrotantes. Vbi igitur quantitas aliqua humoris fuerit excreta, non pro multitudinis ipsius ratione optimam fuisse euacuationem iudicandum, nisi sit eius humoris, qui sua qualitate molestat, & adsit ægrotantis tolerantia, ideoque Hippocrates dixit. Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant, qualitatem enim molestantis humoris venari 23. aph. 1. sect.

nari

5. aph. 1. sec. nari docuerat ex tolerantiæ facilitate, quia verò ad quantitatem debitam dignoscendam nullum tale inditium haberi potuit, ob hanc causam nobis dedit Hippocrates de eadem quãtitate indicandi viam, ex eadem cõferentia, & tolerantia, quã in percipienda humoris qualitate proposuerat: ita vt commune inditium sit facilitas tolerantiæ ad debitam humoris, qui euacuatur tum qualitatem, tum etiam quantitatem cognoscẽdam. Vnde infert in secunda aphorismi parte. Atque vbi vsq; ad animi defectionem expedit ducere, faciendum si æger possit tolerare. Quasi dicat, euacuationem humoris redundantis quantitati respondere oportere, atque ita ad animi vsque defectionem, vbi expedit, faciendam, si vires tolerent: Vt enim diximus in secunda depulsione, Galenus vniuersaliter de omni loquens euacuatione ægrotantis vires considerare iubet, & interim dum tolerant, nec laborant tentandum esse superabũdantem humorem educere; cum verò resoluuntur, ab euacuatione abstinendum. Ex dictis manifestum est in vigesimotertio aphorismo primæ sectionis Hippocratem voluisse monstrare debitam humoris, qui euacuatur mensuram per signa sumpta ex conferentia, & tolerantia, vt Galenus exponit, quẽ sequutus est Montanus: ideoque reiicienda Salui sententia asserentis Hippocratem dicto aphorismo euacuationis partitionem docere, ob oculos ponens quãdo partitam facere vacuationem expediat, & quando integrè peccans humor sit educẽdus. Verùm dicta interpretatio expositioni Galeni contradicit, & eo magis quòd idem Saluus asserat Hippocratem dicto aphorismo significare voluisse, in euacuatione facienda medicũ debere ad duo respicere, vt humor scilicet, qui peccat educatur, & virtus euacuationem facile toleret: si enim aphorismi literam perpendamus, ex tolerantia, quæ sequitur post euacuationem, vel in ipsa excernendi actione, indicat Hippocrates debitam humoris peccantis quantitatem fuisse euacuatã, vel euacuari; non igitur agit in prima aphorismi parte de euacuatione facienda (nulla enim ratione fieri poterit vt qui euacuandus humor est, conferentiam, & tolerantiam virtutis referre

In enarratiõe 3. aph. 1. sect.

In com. dicti aph. 23.

Fol. 340.

referre possit, antequàm euacuetur) sed de ea, quæ efficitur, aut quæ iam facta est, ad quam sequitur tolerantia, & conferẽtia. Et ex hoc infertur in secunda aphorismi parte, quòd vbi multa redundat humoris quantitas eousq; euacuandum, donec totus redundans humor euacuetur, etiamsi ad animi vsq; deliquium euacuatio fiat, dummodo vires possint tolerare, id est, interim dum adest conferentia, & tolerantia. Ea enim, quæ fit animi defectio ratione euacuationis, ab Hippocrate proposita est tanquam mensura euacuationis, & in maximis inflammationibus; & in ardentissimis febribus, atque vehementissimis doloribus; oportet enim viribus integris, atque valentib⁹ tantam moliri euacuationem, quantam ipsæmet vires ferre, & tolerare possint, adhibita tamẽ distinctione (vt Galen⁹ refert) an mittere sanguinem, an purgare oporteat vsq; ad animi deliquium, nam de purgatione (eo quod non est in manu nostra sistere medicamenti operationem vbi velimus) omnes consentiunt nullatenus esse faciendam ad animi vsq; defectionẽ, admittunt tamen extremã sanguinis missionẽ in tribus propositis, nẽpe in vehementissimis doloribus, maximis inflãmationibus, & ardentissimis febribus. Et per ardẽtissimas febres Montanus intellexit non modò ex bile ortas, sed sinochas ex putrescẽte sanguine, quem Saluus redarguit, affirmãs Galenũ significasse eas solùm, quæ à sanguine, non quæ à putrefacta bile incenduntur, in quib⁹ copiosam venæsectionem, & ad animi defectum haud conuenire concludit, tum quia pertimescendum ne bilis effrẹnis fiat educto sanguine, tum etiam, quòd humoribus plurimùm à natura sanguinis recedentibus (quales biliosi sunt) cauendũ à venæsectione sit, & eo magis, quòd biliosa repletio potiùs euacuationem per expurgans medicamentũ, quàm per venẹ sectionem desideret, sicq; dum Galenus sanguinis missionẽ ad animi defectum in ardentissimis febribus cõmendat, interpretatur Saluus de sinochis, quæ continẽtes appellantur, ex eo quòd maximum remedium continentium febriũ esse dixerit, ubi valẽtes vires fuerint: inde infert, in solis cõtinẽtibus (quales biliosẹ nunq̃ sunt) hanc euacuationẽ pro- Fol. 345.

L basse,

basse, easq; ardētissimas nūcupasse, q a aliarū nullis, quā his copiosior sit calor, etiā si mordacitate à biliosis superētur. Nos tū vera Montanū protulisse asserimus, & venæsectionē ad animi deliquium in ardentissimis quoq; febribus ex bile (modò vires adsint) conuenire existimamus, & eo magis, quòd ardentiores sint, non enim video cur ardentissimarum nomine à Galeno etiam non complectantur, qui venæsectione ad animi defectum non solùm propter sanguinis euacuationem in ardentissimis febribus vsus est, sed propter eam, quæ sequitur refrigerationem, qua facultas calida intemperie penè confecta recreetur, & refrigeretur; atque ita deinde, aut aluum fluere faciat, aut vomitum, sudoremuè copiosum excitet, quò febris extinguatur: quod idem Galenus his verbis confirmat. Nam & in ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur; plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant; ac quidam eorum ex his sanitati prorsus sunt restituti; alij valde adiuti vehementiam ægritudinis absciderunt. Vsurpatur igitur à Galeno venæsectio ad animi defectum, vt refrigerans auxilium, at verò nullum est dubium magis opus esse refrigeratione in causo bilioso, quàm continente febre, quamobrem venæsectio ad animi vsque deliquium non minus conueniet in biliosa continua, quàm in continente febre. Præterea idem Galenus vbi feruentis sanguinis copia acutissimam cō citauerit febrem, statim ad animi defectum moliēdam esse euacuationem suadet, priusquàm in præcipuam aliquam partem cum impetu decumbat, sed constat quantò maius periculum decumbendi in præcipuum membrum ex bilis, quàm sanguinis feruore impēdeat, eo quòd tenuior, mobiliorq; succus sit, hac igitur ratione nihil minùs biliosa continua, quàm continens ex sanguine dictam euacuationem postulabit. Neq; pertimescendum est bilim fieri effrenem educto sanguine in continuis febribus, quæ putrescentem in vasis bilem habent, cùm sanguis sine bile non prodeat, neque syncerior post sanguinis euacuationem bilis remaneat. Præterea biliosæ febres conti-

Defenditur Montanus.

In enarratione dicti 23. aph. 1. sect.

Li. de curandi rōne per sāguinis missionem c. 12

nuæ,

nuæ, quæ sanguinis missionem ad animi defectum postulant, non ex adeò exquisita bile constant, vt dictam euacuationem renuant, habent enim alios humores permistos cum bile, licet à prædominio biliosę dicantur, sicq; non valde recedunt à sanguinis natura: tales quoque febres sunt, & quæ cum carbunculis consistunt, quibus etiam hoc auxilium conferre docuit Galenus in libro de medendi methodo. Et licet in biliosa repletione potiùs expurgatio, quàm venęsectio conueniat; in febris quę ab ea exoritur initio, potiùs venæsectio vt refrigerans auxilium competit, quàm medicamentum expurgãs, quod suapte natura calidum est, febremq; adauget, nõ educto humore qui morbum concitat, propter eius cruditatem eductioni inepto. Quamobrem amplectendam Montani expositionem existimamus, Saluiq; omnino explodendam, cum eius rationes nihil conuincant. *Lib.14.c.10*



IVLIO IASOLINO MEDICO DOCTISSIMO, ET ANATOMES PROFESSORI DIGNISSIMO,

ANTONIVS ALVAREZ S.P.D.

IMPROBANTVR PLVRIMA A IVLIO IASOLINO de adipis, & pinguedinis natura, & eorum discrimine, deq; poris colidochis. Vesalius etiam, & Musa atq; Phucsius defenduntur.

EPISTOLA SECVNDA.



VM tuam epistolam de cordis adipe ad Bernardinum Longum doctissimum medicum, & philosophiæ eximium professorem conscriptam perlegissem Iuli eruditissime, & discrimen à te propositum inter adipem, & pinguedinem intellexissem: non potui non admirari quòd pinguedinis naturam ab ea, quæ in adipe, seu seuo consideratur longè distinctam existimes, dicens πιμελὴν, quæ latine interpretatur pinguedo, impropriè, & genericè ad adipis, seu seui nomẽ adaptari, quod στέαρ Græcè dicitur: quasi & Græcè, quemadmodum & latinè pluribus nominibus eandem rem nominare non possimus? Pinguedo enim & adeps idem prorsus sunt rei essentia, & quiditate, licet secundũ magis, & minus differre videantur: cùm pinguedo molliorem, & humidiorem substantiam, adeps verò, seu seuum, minùs mollem, & minùs humidam representet: magis autem, & minùs speciem nõ variare omnes dialectici, & philosophi asseuerant. Malè igitur apud Græcos te obseruasse dicis, pinguedinem impropriè, & genericè adipẽ nuncupari:

Pinguedo, & adeps idem sũt rei essentia.

pari: nam quod genericè dicitur, non impropriè tale est, homo enim secundũ genus animal dicitur,& propriè animal nũcupatur,cùm vera animalis definitio illi competat. Qua ratione si pinguedo per te genericè adeps est,non impropriè(vt dicis)sed proprissimè talis erit.Valebit igitur hęc ratio ab inferiori ad superius,est pinguedo,ergo adeps, non ecõtra,est adeps, ergo pinguedo. Contrarium tamen voluit Galenus loco à te citato de pinguedine & adipe, vbi indifferenter quamuis oleosam,& pinguem in animalibus substãtiam omnem,modò adipem,modò pinguedinem posse appellari affirmat,vt plerique medici facere consueuerunt:quod etiam nobis licere dicit. Ex quo loco nescio quomodo potuisti colligere eos falsa proposuisse: nam & si ex illorum mente hæc tradiderit Galenus, iam cum illis nobis licere quamuis oleosam substãtiam,modò adipem,modò pinguedinem appellare posse affirmauit, dum inquit.Sed & pinguedinem appellare totum hoc genus licet: nõ tamen licet citra mendacium adipem caprinum humidiorem esse dicere,quàm suum. Quod idẽ est ac si affirmet ex propria sententia verum esse dicere, quamuis oleosam substantiam sine discrimine nunc pinguedinem, nunc adipem posse nuncupari,cum rei essentia, & quiditate idem sint, & pro vna,& eadem reputentur re, licet secundùm magis,& minus (quæ speciem non variant) differre videantur: secus quàm si quis proferat adipem caprinum humidiorem esse quàm suum, quod citra mendacium dici non potest. Ad hæc, per vniuersam prædicti capitis lectionem sæpius pinguedinem ipsemet Galenus cum adipe confundit, dum inquit adipem anserinum quæ in alto corpore mordicant magis obtundere, sed & suillo calidiorem esse, horum tamen in medio existere gallinaceorum adipem,ac gallinarum: & tamen secundùm tuam sententiam omnium horum animalium (quia humidiora sunt) oleosa substantia, potiùs pinguedo,quàm adeps foret nuncupanda: quia verò inter se nõ differunt rei quiditate,&essentia pinguedo, & adeps, nihil mirum quòd à Galeno prędicta oleosa substantia modò adeps, modò pinguedo nuncupetur.

Nihil quod generice dicitur improprie tale est.

11. de simp. med. fac.

Quod

Quod ipsius verba paulò infra proposita in hunc modum testantur. Hoc autem sermonis caput commune est, cuius meminisse oportet, pro animalium temperatura semper existere differentias eius, quæ in illis est pinguedinis, aut adipis, aut quocunq; modo appellare licebit totum hoc genus corporis in animantibus, oleosi, & pinguis, & subdit statim, differentias, quæ sunt cuiusq; singulatim, in maioris, minorisq; rationr esse. Quibus vtique verbis certum est, pinguedinem, & adipem pro eadem re reputari, & solùm differe eiusdem temperamenti qualitatibus intẽsioribus, aut remissioribus, & talis differentia consideratur in maioris, minorisq; ratione, quę rem

Cap. 12. ipsam non variat. Neque huic sententiæ contradicit Galenus tertio de alimentorum facultatibus agens de pinguedine, & adipe dum inquit, vtrumq; quidem oleosum esse, humiditate tamen, atque siccitate inter se differre, quoniam pinguedo humida quædam res est oleo longa vetustate incrassato assimilis, adeps verò pinguedine multò est siccior, ideoq; si calfactũ ipsum fundas, coit facile, ac concrescit. Quinimo eadem Galeni verba nostram confirmant sententiam, & eandem prorsus rem pinguedinem, & adipem esse ostendunt, cùm quòd non à

Cap. 10. natura sua differre affirmet, sed duntaxat intensiori, aut remissiori humiditate, tum etiam quòd paulò supra agens de spinali medulla dixerit, eiusdem cum cerebro esse generis, ac naturæ, nisi quòd ipso multò est durior, potissimùm in infernis spinę finibus, quantò enim à cerebro abscedit, tantò magis durescit: durities tamen, aut mollities cùm accidens quoddam sit, rei naturam non variat. Nam quemadmodum musculorum caro cùm una, & eadem sit in omnibus animalibus, propria carnis essentia, & quiditate, alia humida, mollis, laxa, rara, aut spongiosa est, alia è contrario, sicca, dura, astricta, densa, aut compacta, non ob id profectò cuiusdam ea diuersi generis est, aut naturę: similiter pinguedo, & adeps, licet intensiori humiditate, aut siccitate, laxitate, aut dẽsitate aliquod subeant discrimen, rei essentia, & quiditate non differunt: quinimo pro eadem re reputantur, & vna substantiæ ratione comprehenduntur.

Hinc

Hinc est quod Aristoteles à te adductus in cornigeris, atq; iis quorum sanguis crassior est, στέαρ, hoc est seuum, seu adipem, in his verò quorum sanguis dilutior, aut serosior, πιμελήν, hoc est pinguedinem, non adipem generari affirmet, non in rei substantia, sed in crassiori, aut dilutiori sanguine (quod accidens quoddam respicit) differentiam proponens. Cuius rei gratia nihil mirum quòd Galenus, Paulus, Aetius, & alij clarissimi medici sæpius pro pinguedine adipem, & pro adipe pinguedinem sumant; Cùm vtrumq; oleosum, & pingue sit, & tantũm crassitie, aut mollitie distinguantur, quod rei substantiã non adimit. Et hanc ob causam Andreas Vesalius pinguedinem, seu adipem, Græcis πιμελήν nuncupari dicit, pro eadem re vtrumq; reputans, dum in hũc modũm inquit. Ex venis enim compluribus, & arteriis (si quæ reperiantur) membranam perreptantibus, atque inter illam, cutemq; pro pagatis plurimus sanguis resudat, membranę frigiditate, calorisq; (vt credimus) inopia in adipem, seu pinguedinem, aut vt alij etiam in cornu tis animalibus vocant axungiam, degenerans. Est nanq; hæc adipis, ad vniuersi corporis membranas, ligamẽta, & (vt semel dicam) ad omnia sanguine indiga, frigidaq; corpora generationis ratio, videlicet, quod ex venis emanans sanguis frigoris vi congeletur, illisq; adhæreat corporibus, & albescat ex eorum natura quibus apponitur, eo quòd alba, nec carnis modo rubra sint. Omnia enim quæ in nostro corpore ab aliquo mutantur, mutantis, alterantisq; colorẽ etiam sortiuntur. Quamobrem si causam materialem, efficientem, & generationis modũm consideres, eandem prorsus rem pinguedinem, & adipẽ, atque axungiam existimabis, modò apud Græcos nomine πιμελή aut στέαρ nuncupentur. Quæstio enim de nominibus inutilis est Galeno auctore loco a te citato, nam dum res intelligatur, hoc vel illo nomine nuncupetur nihil refert. Nominibus enim neglectis, si Platoni, Galenoque auscultas, ad rerum scientiam primùm & præcipuè incumbendum: siquidem intelligens quiditatem, & essentiam vreteris, uel vasis vrinarij, modò meatum, aut vas nomines, parum interest: non enim à nomine,

2.de par. animal. c.5. & 3.de nat. animalium.

Paulus li.1. c.85. & Aetius tetrab. 1.c.152.

Li.2.pag.26

Pinguido fit ex resudante ex venis sanguine, membranarũ frigore incrassato.

Quæstio de nominibus inutilis.

6.de anat. adm.c.13.

14. meth. c. 9. et de sym. diff. c. 4.

Li. 20. q inscribitur charmides, seu de tēperantia, fol. 282.

Vide Gal. 16 de vsu part. c. 2. et in calce 1. lib. de temp.

Pro vario partis, cui pinguedo inest, temperamēto, et crassiori, aut tenuiori sanguinis substātia adeps mō durior, modo mollior est.

Quę frigore cōdēsantur, calore liquescunt.

Cur pinguedo circa partes calidiores minor, minus pinguis, & crassior euadat, q̄ circa partes minus calidas.

Adeps ignei caloris pabulum est.

mine, sed à re doctrina scientifica comparatur: Plato enim cōcedit pro arbitrio nominibus vti, modo id declares, quid nomine quoque significare velis. Cùm igitur apud omnes in cōfesso sit, adipem, siue pinguedinem, vel axungiam, aut seuum ab exudante in venis sanguine, & membranarum frigore incrassato, mutantisq; corporis colorem mutuante propigni, nil mirum quòd pro vna, & eadem re reputentur, & par generationis ratio in omnibus animalibus consideretur: nisi quòd pro varia sanguinis eorundem crassiori, aut tenuiori substantia, & partis cui pinguedo hæret temperamēto, modò durior, modò mollior euadat: quod accidens quoddam est rei naturā non varians. Hinc est quòd in eodem animali adeps, modò durior, modò mollior appareat, cùm alia parte sanguis tenuior, alia crassior reperiatur, & partis temperamentum nunc calidius, nunc frigidius sit, ita vt differentia percipiatur ex sanguinis, & loci in quem fluxerit natura. Vnde fit, vt alius adeps, alio; in diuersis animalibus, vel in eodem crassior, sicciorque vel tenuior, atque mollior deprehendatur. Et ita in homine qui natura sua humidissimus est, adeps tum mollior, tum durior reperitur ratione naturæ sanguinis, & loci in quem fluxit, & copiosior in eo coaceruatur, quàm in aliis siccioribus animalibus. Eadem enim sanguinis quantitas è venis resudans si in frigidiores membranas decidat, maiorem, pinguiorem, & tenuiorem adipis copiam generabit, si in minùs frigidas, seu calidiores, minorem, minùs pinguem, & crassiorē procreabit. A frigore enim cogi oleosam illam sanguinis substantiam certum est, quarè à calore calfacta liquabitur cæterorum coagulatorum ritu, quinimo, & pars tenuior faciliori negotio ab eodem calore, cuius est pabulum, consumetur. Quamobrem contingit dum talis substantia à frigiditate membranarum circa partes calidiores existentium concrescit, minor, minùs pinguis, & crassior euadat, consumpta à calore partis circumiacētis humidiori, pinguiori, & tenuiori, relicta crassiori, quę postea, non caloris, sed frigoris vi tunicarum, quibus adhæret, cōgelascit, & durior efficitur. Hinc est quòd prouida natura vltra

alios

alios vſus pro ignei caloris pabulo adipem conſtituerit. Videmus enim Galeno auctore, ob vehementer calidas cauſas pinguedinem abſumentes, homines graciles euaſiſſe: calidior enim, ſicciorque temperies exile corpus reddit. cauſam autẽ aſſignans, hãc eſſe ait, quòd quidquid in ſanguine, pingue, leue, & tenue eſt, id in calidioribus corporibus alimentũ quoddam calido fit: hinc eſt quod in illis, minor, craſſior, atque durior adipis copia, quàm in frigidioribus coaceruetur; imo ſi ad calorem tanquam ad efficientem cauſam eſſet reſpiciendum, dicebat Galenus, neque circa iecur, neque circa arterias, venaſque, aut cor, neque circa aliam vllam præcalidam particulam adipem coire, calidum enim, quà calidũ potiùs liquat, atque conſumit adipis ſubſtantiã, quàm vt illam ſeruet, atque incraſſet. Generatur verò adeps in omento, & circa venas, & arterias in eo exiſtentes teſte eodem Galeno, nõ quà particulę calidæ ſunt, ſed quà tunicas habent frigidiores, quarum frigore oleoſa ſanguinis ſubſtantia reſudans congelatur, & in adipis naturam vertitur: quemadmodum & renes (cùm tamen caldiſſimi ſint) adipe vndique circunducti reperiuntur, Veſalio enim docente, exterior renum tunica ipſis inſtar inuolucri circumquaque obducta à peritonęo humiliorem ſepti tranſuerſi ſedem ſuccingente principium ducens, frequentibus venis inſtar omẽti intexitur, multa pinguedine (vt & illud) abundans, quæ tamen non ob renum, aut venarum, ſeu arteriarum calorem concreſcit, ſed propter materiam redundantem, & membranarum frigiditatem, quæ ipſam coire facit.

14. meth. cap. 15. *2. de temp. cap. 4.* *1. de temp. cap. vlt.* *quomodo generetur adeps circa calidas particulas explicatur.* *4. de vſu par. c. 9. & 11.* *li. 5. c. 10.*

Par eſt ratio circa adipis generationem in cordis baſi, refert enim Veſalius, membranam tenuem cordis extimæ ſuperficiei obduci, cui in hominibus, præcipuè ad baſim, durioris adipis copia obnaſcitur, aliquando & per reliquam cordis ſuperficiem ad mucronem vſque, ſecundùm venarum, & arteriarum per cordis corpus digeſſionẽ, ibi enim copioſior adipis portio ineſt, quemadmodum in omento, & membranis thoracem interſepientibus accidere conſpicimus; quòd etiam confirmat his verbis. Cor in cõtinuo verſatur motu, nec dum

6. li. c. 10. *eodem li. cap. 8.*

viuit animal vnquam vel momento quiescens, caldissimum viscus meritò censetur, igitur cur minùs non madorē duntaxat, vt reliqua omnia, sed & aquam à natura ipsi priuatim eiusdē vsus gratia largitam nanciscetur? & subdit, neque hic me mouet, quod quis vnde hæc aqua calidissimo visceri affundatur, interrogare possit: quum præter adipem, quo humanum corpus inprimis scatet, madorem in reliquis nuper commemoratis partibus, atque sedibus animaduertamus.

1. de temp, cap. vlt.

Ex dictis tollitur Galeni contradictio, & manent interpretata ipsius verba àte proposita in fine epistolæ primæ ad Bernardinum Longum cōscriptæ, præsertim quòd aquæ in pericardio contentæ, & tunicæ cor circumuoluentis naturalis frigiditas, aliarumque circumiacentium, simul cum ipsius cordis corporis humiditate, faciunt quominùs ab ingenti illius caliditate copiosa adipis materia consumatur, resoluta duntaxat portione aliqua tenuioris, ac magis oleaginosæ adipis substantiæ, quæ tanquam caloris cordis pabulum magis accommodatum primò ipsi sese offert depascenda, manente crassiori, & terrestriori, quæ postea frigoris vi congelata necessariò respectu materiæ crassioris relictæ, durior fit, & apparet. Et saltem hac ratione meritò damnandus venit Fernelius vir vnde quaque doctissimus, cùm adipem circa cordis basim, & pericardiū contentum molliorem affirmat: non autem quòd minus adipis congestum in corde existimet, quàm congessisset si adeò calidum viscus non extitisset, aut quia adipem cum pinguedine confundat, & postea seuum ab adipe disiungat; rei enim natura idem prorsus sunt, licet secundùm magis, & minus differre videantur.

cur adeps in cordis basi contētus ab ingenti cordis calore nō cōsumitur.

li. 1. suæ medicinæ cap. 15.

Fernelius defenditur à calumnia.

Neque dicendum est adipem in cordis basi cōtentum ideo crassiorem, ac duriorem esse, quia (vt asseris) ex crasso sanguine cor nutriente ortum ducat, fretus authoritate Galeni dicētis, Propterea quòd corpus ipsius cordis crassū est, atque densum cibo egere crassiori, obidque sanguinem ducere è vena caua, quo nutriatur, priusquàm ea ad cor immigret: eò enim cū peruenisset, calidus, tenuis, & vaporosus futurus erat. Cùm enim

6. de usu par. cap. 17.

enim quale est vnumquodque, tali ipsum nutriri alimento oporteat, iure optimo cor quidem crasso, pulmo autem vaporoso sanguine indiguit. Verùm his verbis non absolutè sanguinem cor nutrientem crassum, & terreum nuncupauit, sed respectu eius, qui pulmonem nutrit, qui magis tenuis, & vaporosus est. Certum enim est, sanguinem in caua vena contentum, maximè cùm cordi propinquior fit, ab excrementis expurgatũ puriorem, & tenuiorem esse, quàm dum in infernis partibus, vt in iecinore, vena portæ, & meseraicis venis, atque illis quæ iuxta lienis substantiam sunt, continetur: & saltem hac ratione adeps, qui ex tali sanguine cor nutriente generatur, mollior futurus erat, quàm qui ex crassiori circa inferiores partes oboritur. Addenda igitur est prædicta causa à me assignata, quòd consumpta parte tenuiori oleaginosæ sanguinis substãtiæ ab immodica cordis caliditate, quæ remanet multò fit terrestrior, & postea frigoris vi concrescens, crassior, & durior efficitur. Cum itaque oleosa, & pinguis adipis substantia, quæ in corde est, pabulum ipsius caloris fit, ne interim dum eam depascit, natiua humiditas cõsumatur, & cordis corpus exsiccetur, nihil mirum quòd eundem vsum illi tribuas, quem Galenus generatim (prǽter alios) omni adipi tribuerat, dũ inquit. Porrò ipsius origo, atque vtilitas hæc est. Generatur ex sanguinis parte pinguiori per tenues venas effusa, affusa autem siccis corporibus, atque tenuibus, vt ea ipsa corpora pingui natiuo humectet, quæ celeriter in diuturnis inedijs, ac vehementibus exercitationibus, & caloribus immodicis exsiccantur, atque indurescunt. Cum igitur dictus adipis vsus à Galeno primùm fuerit inuentus, non est quòd in fine epistolæ secundæ de cordis adipe ad eruditissimum Antoniũ Pisanum medicinæ professorem cõscriptæ, à nemine vnquam patefactum fuisse dicas: præsertim cùm & si cor caldissimum nostri corporis uiscus reputetur humidum etiam illud esse ait Galenus, dum cutim in mediocritate inter siccitatem, & humiditatem constituit, & statim profert, cor paulò quàm cutis minus esse durum, atque ita magis humidum, quantò scilicet cute est mollius. Vt igitur

cur adeps in cordis basi contentus, crassioris ac durioris sit substantiæ.

16. de vsu part. c. 2.

origo et utilitas adipis.

adipis vsus a Galeno inuentus.

cor humidũ est.

in fine primi de temp.

cor magis humidũ quàm cutis

in suo debito temperamento cōseruetur cor, & ne quia in continuo versatur motu, neque dum viuit animal vel momento quiescit, ingenti sua caliditate exsiccetur, natura sagax nō modò adipis sufficientem quantitatem in quem agat illi prestitit, sed & madorem, atque priuatim aqueum humorem in pericardio eiusdem vsus gratia largita est, quo semper cor madèret, ne forte ut inquit Fernelius, ardore assiduo torreretur.

aquæ in pericardio cōtentæ vsus.

li. 1. suæ medicinæ. c. 8.

In nominum obscuriorum, quæ ad ossa pertinent enucleatione Vesalium damnas, quòd appendices cum Galeno ossium sinuum medullam continentium opercula esse non crediderit; id autem experientia ductus non effeceris, quæ manifestè docet, quamplurima grandia ossa sinubus, quibus medullosa substantia contineatur, carentia, appendices habere, qualia sunt ilium, coxendicum, scapulæ. & costarum ossa, quę cùm habeant appendices, nullis amplis sinubus medullam recipientibus donantur, quorum opercula esse possint. Quinimo ut Vesalius inquit, uertebræ, & puerorum dentes, qui etiam appendicibus decorantur, non solùm indicant ossa his sinubus destituta appendices obtinere, verùm etiam argumento sunt, non solùm grandibus ossibus naturam appendices dedisse; tametsi oppositum Galenus asseruisse uideatur appendices magnis tantum ossibus ascribens. At nō modò grandiorum plurima sinum habere, verùm & paruorum aliqua, vt pedij, post brachialis, & digitorum, manifestum est, atque ex his potissimùm primæ, & secundæ acies: licet Galenus ossa digitorum solida, ac densa, & medullæ expertia cōstituerit, propterea quòd externis iniurijs magis obnoxia sunt, quàm reliqua ossa, ideoque naturam prouidam, ne facilè paterentur, ita ea construxisse inquit, vt meliùs eis, quæ extrinsecus eueniunt, obuiare possent: cùm sibi id carnis propugnaculum deficiat, quod commune est reliquis ossibus. Cęterum hæc Galeni sententia suspecta est, cùm mihi experiēti comprobatum fuerit, & discipulis sæpius demonstrauerim (dum in complutensi, ac pintiana schola inter alias medicinæ partes anatomem docerem) confractis primis, ac secundis digitorum

Defenditur Vesalius, asserens appēdices, nō esse opercula ossium medullam cōtinentium.

li. 1. c. 3.

lib. de ossib.

2. de vsu par. c. 15. & 2. li. commentarij in lib. Hip. de fract.

suspecta est Galeni sentētia dicentis, digitorū ossa solida esse & medulæ expertia.

giftorũ offibus, finus manifeftos, atque medullofos obtinere. Neque ob id difficiliùs refiftunt, cùm pro fua magnitudine debitam denfitatem, atque craffitudinem illis natura conceffe rit, quæ inter fe proportione refpondent: hæc auté offa appen dices habent, quæ tamen opercula cauitatum non funt, cùm cauitates in offium foliditatem definant, antequàm appendicibus, feu additamentis decorentur.

Quod autem pro Galeni tutela afferis, cuncta offa, vel medulla, vel fucco confimili nutriri, quæ vel in magnis, aut exilibus, & anguftis cauernulis detinentur, nos etiam non negamus: verùm quia rara, & laxa fint aliqua, & interiùs pumicis modo conftructa, non ob id medullam profluere cõcedimus, nifi appendicibus pro operculis muniantur. Nam & fi offa interiùs laxa fint, & rara, exteriùs tamen duriori crufta inducuntur, quæ exitum medullæ, aut fimili fucco non permittit, eifdẽ enim cauernulis offium additamenta intus prædita funt, quibus fimilis continetur fuccus; foris verò compactam habent fu perficiem, quæ eum exire non finit. Non igitur eam ob causã appendicibus decorantur offa, vt finuum opercula exiftant.

Quòd verò addis, maxillam inferiorem medullofam effe, proceffum tamen nullũ habere, cùm denfior fit, quàm vt proceffu indigeat, abfurdum fanè mihi videtur; quandoquidem non modò veritati, verùm Galeno ipfi repugnas, qui in duos proceffus inferiorem maxillam fupra definere affirmat, quorũ alter ceruix, alter coroni nuncupatur. Subiungis deinde, cùm in offe laxitas fimul, ac cauitas adfunt, protinus videri caput quoddam ad finem eius adnatum. Cùm autem eodem Galeno auctore offis tuberculum caput nuncupetur, quod alterius offis cauum, articulationis, motufque arbitrarij ratione fubintrat, nõ ftatim laxitati, & cauitati offiũ (vt dicis) adnafcitur; fed prius ante caput ipfum fefe offert ceruix, feu proceffus, qualis reperitur in offe femoris definẽs in caput, quod coxendicis offis finui inferitur. Nifi velis proceffum, aut caput, appẽdicem, feu offis additamentum nuncupare; id autem effet diuerfa nomina cõfundere, & dum ea enucleare contendis, obfcuriora

li. de offi. c. 1.

maxilla infe rior duos ha bel process.

li. de offi. cap. 1.

3. libro. vsus appendicum.

ſcuriora reddere. Manifeſtum igitur ex dictis eſt, appendicum vſum nõ eſſe, quòd ſinuum opercula ſint, vt rectè Veſalius annotauit; conferre tamen ad commodam articulationem, & oſſiũ cõmiſſuram ſimul cum ſuis proceſſibus, & ad multarũ partium exortum, aut inſertionem, non eſt qui neget, nec ipſe Veſalius negauit. Si enim oſſa nullibi additamẽta haberẽt, quib⁹ extuberarent, nec collium ritu educerentur, ac rurſus vallium modo exculperentur, pauciſſima ex ipſis naſci, ipſiſque inſeri poſſent. Quin etiam oſſium epiphyſes propugnaculi vſum prębere, ſcapularum, & vertebrarum additamenta demonſtrant. Ego vir eruditiſſime ex his ſum, qui Galenum magnifacio, & velut eximium præceptorem veneror, ſed in rebus anatomicis non ita ſum eius ſententię addictus, cui experiẽtia contradicit: amicus enim Galenus, ſed magis amica veritas.

Antonius Muſa, & Fuchſius à calumnia vendicãtur.

In tractatione de poris cholidochis, & veſica fellea, Antonium Muſam, Fuchſium, & alios doctiſſimos viros damnas, eo quòd malè Galeni verba libro de atrabile fuerint interpretati, dum colligunt, non ſolùm porraceam bilem in ventriculo generari, verùm etiam & æruginoſam, atque eam, quam iſatodem nuncupamus. Eos autem bene collegiſſe, ipſius Galeni verba ſi rectè perpendantur, ſatis demonſtrant, dum inquit. Ipſa verò bilis, ſeu pallida, ſeu flaua, ſeu vitellina viſatur, generationem in vaſis obtinet. Subdit deinde, in ventriculo autem alia quædam porracea gignitur (ſic enim eam à porrorum colore denominantes vocant, ſicut ærigino ſam quoque, quòd ærugini ſimilis conferatur) eſt & quædam iſatodes dicta bilis, ab iſatode cæſium colorem referẽte. Quod idem eſt ac ſi dixiſſet, quemadmodum bilis, modò pallida, aut flaua, ſeu vitellina fit (ſumpta denominatione à colore pallido, aut flauo, aut ab eo, quem ouorũ vitella repreſentant) in venis, & iecore, quod quamplurimis vaſis refertũ eſt, generatur, ſic altera bilis, modò porracea fit à colore porrorum, modò iſatodes à cæſio, aut æruginoſa ab æruginis colore dicta, in ventriculo procreatur, & fit; & ita Galeni verba ſunt interpretanda, ſicut bilis pallida flaua, aut vitellina generationem in vaſis obtinet, ita in ventri

explicãtur Galeni verba li. de atra bile, de bilis ſpeciebus.

culo

culo alia quædam porracea gignitur,(sic enim eam à porrorũ colore denominantes vocant, sicut aliam secundam bilem in ventriculo genitam æruginosam quoque dicunt, quòd ęrugini similis conferatur)subdit deinde, est & quædam tertia isatodes bilis, in ventriculo scilicet genita, dicta ab isatide cæsiũ colorem referente. Non igitur intentio Galeni fuit solùm enucleare, cur bilium tot species talia nomina fuerint sortitæ, sed etiam locum, in quo fuerint genitæ, ostendere: nam si talis illius fuisset mens, aut primas tres species, quas ex colore, modò pallido, modò flauo, modò vitellino distinxit, in vasis generari non dixisset, aut has vltimas ex colore, modò porraceo, modò cæsiò, modò ęruginoso separatas, in ventriculo generari par erat asserere: quod cùm de porracea bile protulisset, de æruginosa, & isatode non fecit, propterea quòd ex his, quæ dixerat, satis erat manifestum, & ideo de ipsarum coloribus tantùm meminit. Quòd si id non intellexisset Galenus, æruginosam, atque isatodem vocatam bilem simul cum flaua, pallida, & vitellina, in iecore, & venis generari asseruisset.

specierũ bilis natura, & generationis modus.

Hæc nostra sententia clarior euadet, si specierum bilis naturã, & generationis modum consideres, non loquor de alimentaria bile, quę tenuissima sãguinis pars est per venas distributa, nã quæ superuacanea est, tanquã sanguinis excremẽtum, in bilis vesiculam eijcitur, proprio deinde ductu in intestina profluens, ea non solùm ad excremẽtorum deiectionem stimulat, sed lentam, & adhærescentem illis pituitam detergit. Hæc flaua est, & mediocritatẽ quandam substantię, & caloris obtinet; ex qua altera bilis species tenuis cuiusdam ichoris mistione procreatur, colore pallidior, & substantia tenuior: & vtraque licet superuacua sit, naturalis est, & naturæ legibus in nobis cõtinetur. Gignuntur & interdum quatuor aliæ species bilis præternaturam, quarum vna est vitellina, à flaua naturæ modum fugiente nata, dum caloris præternaturam acrimonia ita torresit, vt ex fuluo colore, igneum, & ex tenuis substantiæ dissipatione, crassiorem consequatur, quæ, & colore, & crassitudine, vitellorum ouorum crudorum speciem refert, à quibus nomẽ

duæ flauæ bilis species, nempe pallida, & flaua, naturales sunt.

quatuor species bilis, præternaturam. vna est vitellina dicta.

assum-

assumpsit. Quòd autem due priores bilis speties naturales sint, & tertia dicta præter naturã declarauit Galenus, dicens in sanguine generando, id excremẽtum, quod flaua bilis factum est, per fellis vocata vasa expurgari, esseque tenue, & humidum, ac fluidum, nõ quale cùm ad vltimũ est excoctum, flauum, igneũ, & crassum, vitellis ouorum simile: hoc nanque iam præter naturam est, alterum verò, quod priùs memorauimus, est secundùm naturam, nempe flaua bilis, sub qua pallida continetur: quæ remissior colore est, & eam Galenus naturalem appellat. Et omnes hæ tres bilis speties, due naturales, & tertia preternaturam, in iecore generantur, atque in vasis. Præter has autem aliarum par numerus recẽsetur, quæ omnino præternaturam sun: tvna est porracea, altera æruginosa, tertia isatodes dicta, propter glaucum, aut cæruleum colorem glastum referentem. Quæ sæpenumerò in ventriculo gignuntur propter quorundam cruditatem esculentorum, aut olerum, qualia sunt beta, cæpa, brassica, allium, porrum, nasturtium, sinapi, & præcipuè eorum folia: dum enim nequeunt à natiuo ventriculi calore commutari, neque in chylum conuerti, putrefiunt, & colorem suum magna ex parte retinent: Primùmque ex illis fit porracea bilis, quæ si infixa diutiùs hæreat, & cõmoretur, persistente ventris incendio in æruginosam commutabitur, hęc demum in eam, quæ glasti colore tincta apparet, minùs quidem viridis quàm superiores, sed illis deterior, quòd propiùs ad nigrum colorẽ accedat. Et ita duæ vltimæ speties bilis præternaturam simul cum porracea, sub viridi colore continentur, & quodam modo ad porraceam reducuntur: nisi qòud porracea mitior est propter minorem calorem, æruginosa verò, & glasti colore tincta, deteriores sunt propter maius incendium. Et eã ob causam cùm Hippocrates agens de vomitione inquit, si vomitio fuerit porracea, aut liuida, aut nigra, quicunque ex his fuerit color, malum esse censendum est, nisi sub porracea æruginosam, & isatodem comprehendisset, proculdubio dixisset, si vomitio fuerit porracea, seu æruginosa, aut isatodes, aut liuida, vel nigra, quicunque is fuerit color malum esse: Quia verò

ærugi-

7. de natu. fac. cap. vlt.

Pallida bilis sub flaua cõtinetur.

com, 39. 2. prog. & 10, de simp. me. cap. de felle.

Bilis pallida, flaua, & vitellina. in iecore, atq; in vasis generantur.

Porracea bilis, & erruginosa, atque; isatodes dicta, sepius in uentriculo generantur.

æruginosa bilis, & isatodes simul cũ porracea sub viridi colore continentur. et quodãmodo ad porraceã reducuntur.

2. prog. com. 39.

æruginosa,& isatodes,sub porracea continētur, ideo has duas differentias subticuit. Quemadmodum igitur Galenus inquit gigni in corpore,sicut crocea bilis per naturam habentibus,ita porraceam alteram præternaturam: constareque vt hæc sæpenumerò in ventriculo procreetur propter quorundā esculentorum, aut olerum cruditatem: idipsum existimasse de æruginosa & isatode,quę sub porracea fuerunt cōprehensæ,credendum est: atque vt interdum talibus esculentis,aut oleribus nequaquam ingestis,ratione ægrotationis in venis gignitur porracea bilis,ita etiam & æruginosam,& isatodem in venis generari,idque per morbos graues,& ardentissimos, qui vehementis caloris incendio bilem flauam,vel vitellinam exurunt, & in hęc genera prorsus pernitiosa, & exitialia deducunt.Hęc dicta sunt pro defensione Musæ,& Fuchsij. *In com.in ta Hip. sen-tentia.*

Quæ tandem aduersus Falloppium scribis de tractione bilis à trahente facultate vesicę fellis mediantibus proprijs ipsius fibris ad id dicatis tanquam instrumento, & de expulsione etiā aliarum interuentu, & non hepatis compressione, doctissima quidem sunt, & quę negari non possunt. Natura enim manifestè docet, tunicam vesicę fellecę triplici fibrarum genere esse ornatam,quibus vario modo se habentibus, tum bilem à iecinore trahat,tum retineat,tum etiam expellat. Verùm licet ex Galeni doctrina affirmes à folliculo innoxiè trahi bilem, tanquam illi dicatum, cognatum,ac familiarem succum: & eo modo quo hominum stercus canibus suauissimum est, ita iecoris excrementum aliud lieni, aliud bilis vesicæ, aliud renibus esse iocundum: non tamen exponis an dictis iecoris excrementis partes,quę illa trahunt,nutriantur. Forsitan tanquam manifestum omisisti,intelligens eo modo,quo hominum stercus canibus suauissimum est, quoniam illis proprium,& familiare nutrimentum existit;ita bilem fellis vesicæ,melancholicum succū lieni,& serosum recrementū renibus suauissima esse, tanquam illis futura alimenta. Et eò magis quòd idem Galenus affirmauerit membrum quodcunque nutriri eo succo,cuius trahendi est illi naturalis potestas: nihil enim inquit trahit propter ip- *5. de vsu part.c.10.* *3. de nat. fac. c.9.* *An iecoris excremētis partes quæ, illa trahunt nutriantur.* *3. de fac. nat.c.6.*

N tum

sum trahere: sed vt eo, cuius trahēdo fit compos, fruatur: si autem retinet, & fruitur, id facit, vt quod qualitate conueniens, familiareque est, sibi faciat simile. Verùm partes non nutriri ex crementis, quæ trahunt, (præter lienem qui melancholico succo alitur) docuit Galenus his verbis. Ne igitur cum vrinis per aliquod foraminum, quæ in renibus habentur, quemadmodū tenue biliosum, ita sanguis elaberetur, densum corpus eorum fuisse præstitit: splenis verò (vt ante probauimus) contra laxum manifestè, atq; rarum, ad trahendum enim à longinquo succum crassum aptius hoc fuit, nec metus erat ne quid sanguinis sequeretur, neq; enim statim antequam conficeretur, concoqueretur, & commutaretur, erat melancholicum excrementum excreturus, vt renes lotium, sed diutissimè retenturus, alteraturus, & alimentum sibi ipsi facturus. Meritò igitur ipse laxus factus est, & renes densi, quibus tertio iam ad sui nutrionē vase non opus fuit, præter duo magna: quorum alterum oritur ab arteria, quæ spinæ incubat, alterum à vena caua. Porrò vesica, non ea solùm quæ bilem, sed & quæ vrinam recipit, purum vtraque, atque ab alijs secretum cùm attrahant proprium excrementum, non sine ratione vasis alijs alimentum illis suppeditaturis indiguerunt. Quibus verbis manifestè docet, lienē melancholico sanguine nutriri, quoniam illum allicit, retinet, conficit, & commutat, tanquam non purum excrementum: atque eam ob causam non desiderat alia vasa, quæ alimentum deportent: renes verò, & vtraque vesica quia mera excrementa trahunt, ideo ea inconfecta dimittunt, & alijs indiguerunt vasis ad sui nutritionem: quod confirmauit dicens, vtranque vesicam, vnam duntaxat, eamque tenuem possidere tunicam, quia cùm purorum excrementorum instrumenta sint, nulla in eis futura est concoctio. Non igitur ex Galeni mente vesica fellis bile, neque altera vesica sero, nutriri possunt. Nam si in eis excrementorum coctio non fit, ergo nec illis nutritio fiet: non enim nutrire potens est, quod non concoquitur. Quia verò crassum sanguinis excrementum, quod à liene trahitur, purum & syncerum non est, ab eodem concoqui valet, & nutrimen-

Nullæ partes, pter lienem, nutriūtur excremētis, quæ trahunt.

5. de vsu part. c. 7.

Renes, & vtraq; vesica, non nutriuntur ex crementis, q trahunt. cap. 12. eiusdem libri.

trimentum illi præstat. Quod verò reliqua excrementa (vno melancholico excepto) nutrire non possint, ex eo manifestum est, quòd seri substantia omnis est tenuis, & aquea, omni carẽs pinguedine, ergo nullam habet partem, quæ alimentum præstare queat magis quàm aqua, quę propter substantiæ modum sero omninò similem, non nutrit, quamobrem, neque renes, neque vesicam nutrire poterit. Præterea bilis est merum excrementum, igitur non valet præstare nutrimentum. Adde quod alimentum omne dulce est, vel alicuius dulcedinis particeps: constat verò syceram bilem, qualis in folliculo fellis continetur, summè amarũ esse succum, quare non erit ad nutriendum idonea: & si enim melancholia naturalis non minùs flaua bile excrementum sit à concoctione sanguinis, quæ in hepate fit, separatum, nõ est ita pura, & syncera, sed quiddam melancholicus sanguis, qui à liene attrahitur, & concoquitur, parteque tenuiore in ipsius naturam cõuersa, quæ crassior est, & syncerior nutritioni inepta ad os ventriculi proprio ductu eijcitur, id sua acerbitate, & austeritate astringens, & in angustum adducẽs, vt inde omnis illius actio firmior sit, & validior: deinde verò in ventris capacitatem relabitur: hinc vnà cum alimentis in intestina excidit, & tanquam inutilis in cibi excrementis inhærens, cum eis foras truditur. Neque eo modò sanguinis serum excremẽtum est renibus accomodatum, quo melancholicus sanguis lieni, eo quòd renes non trahant solùm serosum sanguinis recrementum, sed serosum sanguinem: sicut lien non trahit puram, atque synceram melancholiam, sed potiùs melancholicum sanguinem, quoniam lien melancholiam puram à nigro, & tenui sanguine, quo nutritur concoctione separat: renes verò non concoctione serum à sanguine seiungunt, sed transfusione; percolatur enim propter renum densitatẽ, ideoq; excrementum ipsorũ non est, sed hepatis potiùs, cùm coctione ab ipsius alimẽto separetur, & illud verè excrementũ sit Galeno auctore, quod actione de alimento separatur. Neq; quemadmodũ ex lienis nutriti nigro colore melãcholicum humorẽ nutriẽtem coniectamur, ita ex visicæ fellis

Excremẽta (vno melancholico excepto) nutrire non possunt.

auctore Arist. li. de sensu, & sens. et Gal. 1. de alim. fa.

Melancholia naturalis nõ est purum, & syncerum excrementum.

Serũ non est renũ excrementum, sed hepatis.

1 de fac. natu. aduersus lycum.

colore flauo, flauam bilem ipsius nutrimētum esse concedi debet: quoniam in liene niger color ex nutritione est, in vesica autem fellis flauus apparet ex cōtactu bilis, & aliquibus illius portiunculis insensiles poros tunicę vesicę perreptātibus, quæ illam simili colore tingunt nulla præcedēte ex tali humore coctione. Ex dictis manifestū est prædicta excrementa & si à partibus, quę illa continent, familiaritate, & totius substantiæ similitudine trahantur, tanquam illis dicati, cognati, & familiares (vt dicis) succi: illas tamen non nutriunt, vno excepto melācholico humore, qui licet hepatis excrementum sit, lienem vt diximus nutrire valet.

c. 6. & 9. Neque ob id, in Galeni dictis vlla est contrarietas, quòd tertio de facultatibus naturalibus asseruerit, membrum nutriri eo succo, cuius trahendi est illi naturalis facultas; quod intelligendum, quando attractus succus in trahentis partis naturam verti est aptus. At licet quadam similitudine renes, & vesica serum, & fellis vesica bilem, trahant, & partium finis sit, excremētis, quę trahunt potiri, & omnino sibi per nutritionem assimilare: quia tamen à natiuo partium calore concoqui non possunt, suo frustātur fine. Non enim talia excremēta sunt ad concoquendū idonea, licet concoctrix partiū virtus ociosa nō sit.

Explicatur Galeni authoritas, 3. de fac. natu. c. 6. & 9.

Non miror tantùm, quòd notatu dignum vas ab hepate ad duodenum biliosum excrementum, crassum, & permistum deferens, inuenisse affirmaueris: quàm quòd ex Galeni sentētia id colligi posse existimes. Potuerunt enim peritissimi omnes, & oculatissimi anatomes professores in consideratione ampli adeo meatus hallucinari, & cæcutire, te vno inspiciente, atque inueniente: verùm non crediderim eos non intellexisse Galeni verba, ex quibus deducis eius fuisse sententiam, iecur bilioso excremento duplici via expurgari: tenuiori, ac puro, per bilis vesicam, & fellis vocata vasa ab ea propagata: crassiori verò, atque permisto, per amplum vas ab hepate exortum, & duodeno intestino implantatū. Quod tantùm abest à doctrina Galeni, vt nō modò quę dicis nō somniauerit, verùm, si ipsius verba exactè perpendisses, vasa per quę iecur à bilioso recremento expur-

5. de vsu part. c. 6. & 3. li. c. 12. & 6. de administ. cap. 17. & 1. de nat. fac. c. 6.

expurgatur, eadem omnino esse, quæ ab omnibus anatomes professoribus (te vno excepto) hucusque sunt proposita, intellexisses: forsitan quòd à te nõ probè fuerint animaduersa occasionem præstiterunt fingendi uas illud amplum ab hepate ad duodenum permeans, quod neque alij ante, nec post te in rebus anatomicis maxime exercitati, vnquam inuenerunt. Galenus enim citato à te loco agens de renibus, assignat causã quare attrahant serosum sanguinis recrementum per ampla vasa, dicens id fieri, vt simul cum eo, sufficiẽs sanguinis copia ad eorum nutritionem trahatur. Particulæ enim per ampla orificia non possunt humorem aliquem syncerum, & purum, sine alterius admistione attrahere: ideoque renes non trahunt solùm sanguinis serum, sed sanguinem serosum, vt per compactam, & astrictam eorum substãtiam, sero percolato cum tenuiori bilis portione illi admista, ex remanente sanguine nutrimentum suscipiant: similiter & splen, qui melancholicho sanguine, nõ autem syncera, ac pura melancholia alendus erat, per ampla orificia illum attrahit, & post debitam coctionem syncerum excrementum nutritioni ineptum separat, per propria, & dedicata vasa, partim ad vẽtriculum, partim ad rectum intestinũ transmittens. Vesicula verò fellis cùm bilioso sanguinis recremento non esset nutrienda, ideo ipsum purum, syncerum, atque alteri humori impermistum per stricta vasorũ attrahit orificia, nec aliud vas purgandi sanguinem à bilioso recremẽto natura in hepate inuenit, quo magis crassum in duodenum intestinum deponeret, præter dicta fellis vocata vasa. Quòd confirmat Galenus à te adductus, dum agens de instrumentis excremẽta, seu superflua à concoctione sanguinis in iecore recipientibus, inquit, alia quod subtile, & leue in eo habetur expurgare, vt sunt meatus, qui ex eo quòd bilem recipiant, bilis receptores, græce χοληδόχοι, à medicis appellãtur: & vesica similis meatibus, bilis receptrix, græce χοληδόχος dicta. Ex eo autem dictis meatibus similis est fellis vesica, quòd ab ea ortum duxerint; orta enim suis principijs, & principia ortis ad inuicem assimilantur. Non igitur ex Galeni mente, aliquem horum meatuum ex iecore exortum

5. de vsu part. c. 6.

6. de admi. sect. c. 2.

tum, & duodeno implantatum (vt fingis) quispiam in ipsius
4. de vsu part. c. 12. doctrina versatus poterit colligere, præsertim cum ridiculum fore dixerit, eos qui bilem continent πόρους, hoc est, meatus, vel sanguificationis instrumentũ esse, vel venarũ principiũ existimari. A vesica enim, quæ est ad hepar, quã bilis susceptricẽ vocant, hi pori orti sunt, & eãdem cũ illo corpore ostendũt naturã, & subdit statim. Neq; solùm sunt in hepate hi, scilicet implãtati, & à prædi-cta vesica exorti, sed etiã extra hepar, quẽadmodũ is qui peruenit ad intestinũ. Vides quo modo ipsemet Galenus, quem in comprobationẽ adducis, contrariũ tuę sententię proferat, dicens eum meatum, qui ad intestinum peruenit, & bilem deducit, extra hepar esse, illudq; non attingere, sed à folliculo fellis in intestinum permeare. Si enim quisque diligenter velit perpendere veram horum vasorum anatomen, quam nos sepius discipulis demonstrauimus, inueniet perfectò vesicam bilem recipiẽtem villos habere in sua tunica, intùs rectos, foris transuersos, medios horum obliquos, quibus bilem retinet, vt rectis trahit ex hepate, transuersis expellit in ecphysin. A collo enim suo duos producit meatus: vnum sursum inter venæ portæ, & cauæ radices numerosis surculis, & propaginibus in vniuersam iecoris substantiam distribuendum, quibus bilem in se allicit: alterum deorsum in duodenum intestinũ delapsum, quo in ipsum bilem expellit, euersa facilè gemina membrana eius osculum in dicto intestino claudente, ne quid in meatum regurgitare possit, iter præpedientibus.

Ex quibus liquet, nullum ex hepate vas magnum ad emittẽdam bilem idoneum in duodenum inseri. Nec Galeni verba
4. de vsu part. c. 4. à te citata id sonant, quibus omnes fere anatomicos deceptos fuisse affirmas: eisdem enim te ipsum iugulas, nanque illorum confirmant sententiam, & tuam redarguunt. Conferens enim Galenus coctionem sanguinis, vini coctioni, crassum, graue, terreum, melancholicum, atque residens illius excrementum vini fęci: biliosum verò, tenue, aereum, leue, atque supernatans flori comparauit, eo quòd velut spuma quædam in sanguinis superficie fluitat, cui ratio fuit instrumentum præparari, cauum

ri, cauum

ri, cauum quidem, vt recipiat facilè: prælonga verò colla, velut stomachos quosdam vtraque parte cauitatis habens: (sunt autem vasa illa, quæ numerauimus à vesicæ ceruice exorta, & à Galeno hic colla nuncupata) alterum quidem eorum parte superiore natum attrahendo excremento, reliquum autem emittendo idoneum. Neque huic sententiæ contradicit Galenus cùm tertio de facultatibus naturalibus dicat per vnum, eundemque meatum fellis vesicam impleri, & euacuari, his verbis. Iam nec illud difficilè compertum est, & tractionem, & expulsionem diuersis in temporibus per eundem meatum fieri, si modo ventris stomachus gula vocatus non cibos tantùm, potionemque in ipsum ducere: sed etiam in nauseis contrario fungi ministerio cernitur. Etiam vesicæ, quæ sub iecinore est, collum cùm vnum sit, tamen vesicam per se nō solùm implet, sed etiam vacuat. Nemo enim est, qui ignoret vnum esse vesicæ collum, quo bilem sibi familiarem succum attrahit, & in vesicæ uentrem deducit, quo (ut idem Galenus inquit) sæpe plena cernitur: deinde uerò eiusdem succi multitudine pressa, uel ex mordace eius qualitate irritata, eum per eandem uiam expellit, per quam antea receperat, quæ ipsius uiæ collum est, quod in alia duo colla seu meatus diuidi asseruimus: unum quo à uentriculo allicit humorem biliosum, alterum, quo attractum in intestinum duodenum expellit. Sic itaque bilis uesicæ unum esse collum dixit Galenus, quod ipsius ceruix est, per quam diuersis temporibus trahit, & expellit biliosum succum. Quarto autem de usu partium duo eiusdem uesicæ colla, seu meatus proposuit, in quos ipsius ceruix diuiditur: alterum quo humorem biliosum in eandem ceruicem, & ipsius uesicam attrahit, alterum, quo eundem humorem à uesica in ceruicem expulsum, in intestina deponat. Sic igitur Galeni uerba dictis locis sunt interpretanda; interpretationes enim, quas proponis, contradictionem non dirimunt: quinimo Galeni loca obscuriora reddunt. Nam dum tuam de vase magno in euacuanda crassiore bile à iecore in intestina confirmare sententiam studes, Galeno imponis

cap.13.

3. de fac. natu. c. 12.

2. de fac. natu. c. 13.

cap. 12.

Cap. vlt. ponis (cùm secundo de facultatibus naturalibus voluisset flauã bilem, quia tenue, humidum, & fluidum excrementum est, & secundùm naturam, per fellis vocata vasa expurgari.) fellis vasa ab eo vocari exilia illa, & ferè inuisibilia ad iecur pertinentia, ex quibus syncerus humor flauus, ac naturalis, per eorundem ora expurgatur: illum verò ad vltimũ ex coctum, flauum, igneũ crassum, & iam præternaturam redditum, quem crudis vitellis ouorum similem nuncupauit, per fellis vocata uasa nõ expurgari, sed per aliud uas notatu dignum, quod à iecore ad duodenum permeare fingis, crassioris bilis præternaturam redditę euacuandi gratia, qualis est uitellina, porracea, æruginosa, aut quæ cæsium refert colorem: hæ enim omnes bilis speties præternaturam sunt, & crassiorem habent substantiam, quàm perexilia vasa ualeat educi: eamque ob causam sagacem naturam horum crassorum humorum euacuandorum gratia uas illud magnum generasse dicis, per quòd ab hepate in intestina deducerentur. Sed duplici ratione erras, tum quòd per fellis uocata uasa non intelligas vesicam, & qui ab ea propagantur meatus, unum, ut diximus ad educẽdam è iecore bilem, in multas propagines per iecoris substantiã diseminatũ, alterum, attractam iam ad intestinum transmittentem: tum quòd existimes aliud magnum uas in hepate reperiri, crassam bilem, & præternaturalem in intestina deducens. Quod nec natura ipsa procreauit, neque Galenus vnquam somniauit: dicto enim loco, & alijs omnibus, in quibus de fellis uasis egit, semper cùm animal naturæ opera regitur, per ea sanguinem à flaua bile, quemadmodũ per alia lieni dicata, ab atro succo expurgari affirmat. Quandoquidem non eandem habent hi succi speciem cùm animal bene ualet, qualem cùm præternaturam se exhibet, sæpe obtinent. Quippe quæ flaua est, efficitur uitellina: rursus nigra, longè malignior ea quoque, quàm quæ naturalis est, redditur. Si contendas, saltim dum animal ægrotat necessarium esse illud uas magnum, per quòd ab hepate in intestinum bilis uitellina, porracea, æruginosa, aut isatodes, quæ præternaturam se habent, & crassæ substãtiæ sunt, expurgari possint: interrogarem ego

Nullũ magnum vas in hepate reperitur crassam bilẽ in intestina deducens.

ego, interim dum sanitate fruitur, an ociosum sit illud vas, & clausum? si esse fatearis, volũtatis etiam imperio obedire concedes, quod absurdissimum est. Necessariò igitur id nec clausum, nec ociosum esse dices eo in tempore: per ipsius igitur amplam cauitatem faciliori negotio sanguis à flaua bile expurgabitur, quàm per fellis vasa, quę strictissima habent orificia. Quã obrem, frustra hæc erunt à natura condita: præterquam quod per tale amplum vas non modo flaua bilis, sed etiam sanguis perpetuò exiret ob rationem à te propositam ex Galeno, quòd hæ particulæ, quæ per amplum orificiũ succum sibi conuenientem attrahunt, nõ possunt solùm ipsum, neque purum, neque syncerũ trahere, sed alterius cuiusdã diuersi generis admixtione adulteratum: quare maius sequeretur incommodũ ex continuo sanguinis defluuio per illud vas, quàm vtilitas ex crassioris bilis euacuatione. Sed age, fingamus illud vas amplum in hepate crassiori bili præternaturali recipiendæ destinatum dũ animal ægrotat, tanquam canale quoddam à iecore in duodenum produci crassioris bilis præternaturam euacuationi idoneum: tunc aut vas illud in cauitatem aliquam ipsius hepatis inseritur, in quam crassa bilis colligitur, deinde per dictum vas euacuatur, (huiusmodi autem cauitatem nemo vnquam visit) aut ad attrahendam crassam bilem præternaturam in vniuersa hepatis mole, dictum vas vt omnes partes attingat, in plures propagines diuidi necesse est, & has in alias, quousque deuentum sit ad adeò minutissimas, vt fere infinitæ, atque inuisibiles appareant: quibus, ex omnibus partibus crassam bilem exugat, & sanguinẽ ab ea expurget. Quod facere non poterit propter dictorum vasorũ stricta orificia: sicq; tua propria ratione debes conuinci. Non igitur necessariũ est tale vas à te somniatum potius quàm inuentũ: quoniã natura solũ curauit inueni re instrumẽta, per quæ sanguis à bilioso expurgatur excremen to dũ secundùm naturæ legẽ se habet: quãdo verò iam præter naturam est, & ob nimiam exustionẽ crassum fit, natura irrita, & commota id expellit per quasuis vias expulsioni magis aptas: tuncque si propter crassitiem deferri nõ potest in fellis vesicam,

5. de vsu part. c. 6.

2. de nat. facul. cap. vlt.

Confirmat hoc Gal. ex

Hippocrate 7. sect. apho. 54.

sicam, per stricta adeò orificia, & vasa, nihil mirũ quod per easdem venas intro feratur, & retrocedat, per quas fuerat attractus, quousque deueniat ad maiores, & ampliores, & tandẽ per magis peruiam regionem ab ipsa natura euacuetur. Ideoque Galenus tertio de facultatibus naturalibus hęc protulit verba. Porrò in morbis natura nõ rarò totum animal per easdem venas purgat: non tamen est ea vacuatio sanguinea, sed pro ratione infestantis succi. Ita nimirũ & in choleris, per venas quæ ad intestinum, & ventrem pertinent, totum uacuatur corpus. Existimare autem vnicum esse motus modum, quo materiæ in corpore ferantur, ignorantis omninò est naturę potẽtias, cùm alias, tum verò eam, quæ tractrici aduersa est excretricẽ. Siquidem contrarias potentias necesse est contrarij sequantur motus. Deinde paulò post subdit. Ergo tantam violentiam, vehementiamque excretoria vis obtinet, vt vbi in morbo, quem ileon græci vocant, transitus omninò pręclusus est, vomatur stercus: quanquã non nisi pertransito tum tenui intestino toto, tum ieiuno, tum pyloro, ventriculoque, ac gula, omninò nequeat per vllius os eijci tale vllum excrementũ. Ergo quid miri est si etiam ab vltima corporis parte, quæ ad cutem est, ad ipsa vsque intestina, & ventriculum, aliquid translatum perueniat? Hac igitur ratione crassa bilis, quę per stricta vasa, à tractrice vesicę fellis facultate trahi nequit, retro cedit, expultrice hepatis impellente. Nam vt infra Galenus inquit, si via, quæ foras fert, densitudine est interclusa, alienum nõ est, si ad eam quæ intro fert conuertatur humor: itaque quod offendit in vicinam sibi particulam violẽter coactum amolitur, atq; illa rursus in eam, quę sibi proxima est: neque id fieri desistit, quoad translatio ad interna venarum ora finiatur; sicque ex toto in totum aliquid transfertur, mutuoque recipitur vbi necessitas postulat, & vna fit omnium conspiratio, atque confluxio. Hæc sunt vir clarissime, quæ diligenter legendo tuas anatomicas quæstiones, & ostealogiam paruam annotaui; in quibus & si à tua sententia discesserim, id non cauillandi animo, sed veritatis tuendæ gratia me fecisse existima. Vale, & me mutuo amore dilige.

cap. 13.

Hanc sententiam confirmat Gal. 6. de locis patientibus 4. & 6. epid. com. 5. tex. 2. & 7. sect. aph. 30.

ANTO-

ANTONII ALVAREZ

PRO CVRANDO TOTIVS SINISTRI LATERIS STVPORE, QVO LABORAT ILLVSTIS VIR MELCHIOR DE Astudillo Ciuitatis Burgensis Senator egregius.

Consilium Primùm.



T stuporis sinistri lateris, quo afficitur Illustris vir Melchior de Astudillo, vera intelligatur essentia, pro cuius curatione nostrum postulauit consilium, animaduertere oportet cerebri, ac neruorum aliquot morbos, qui in ablata, aut diminuta sensus, & motus actione consistunt, in quorum numero stupor continetur, nanq; hoc pacto, faciliori negotio quid stupor ipse sit cognoscetur. Et in primis resolutionem quarumuis partium duplici modo considerare expedit: vno, quando resolutis earũ neruis amittunt omnino sensitiuam, atque motiuam vim, tuncq; vera, & exquisita generatur illarum partium resolutio: altero, cùm sola sentiendi; aut sola mouendi facultas deperditur, tuncq; impropria, & illegitima resolutio nuncupatur. Quæ diximus facilè est perspicere in laborantibus paralysi totius lateris, vel alicuius particularis membri, qui sensu, atque motu illarum partium duntaxat, nõ autem totius corporis omnino priuantur. Nam si cuipiam vniuersi corporis sensus, & motus amissus fuisset, iam non paralysis, sed apoplexia talis affectio esset nuncupanda. In hoc enim apoplexia à paralysi differt, quòd apoplexia sensus, & motus omnimoda, & vniuersalis priuatio est, paralysis verò omnimoda etiam, sed particularis. Quemadmodum contingit in ijs, quibus dimidia pars totius corporis sensu, & motu priuatur, vel particulare aliquod membrũ, aut vniuersum corpus infra caput, vel dextrum, aut sinistrum eius latus. Quoniam apoplexia omnibus animalibus actionibus noxam inferẽs cerebrum affectum esse manifestè declarat; tuncq;

Resolutio neruorũ duplex.

Exquisita & legitima resolutio.

Resolutio illegitima.

Apoplexia quæ sit.

In quo differat apoplexia à paralysi.

Auctore Gal. 3. de loc. affect. cap. x

omnes pariter nerui sensum, atq; motum amittunt, & huiusmodi affectio apoplexia meritò nuncupatur. Vbi verò alteri laterum, aut dextro, aut sinistro id accidit, paralysis, seu resolutio nominatur, eius scilicet partis, in qua consistit affectus, interdum dextræ, interdum sinistræ: quòd si in aliquo membrorum idem euenerit, eiusdem membri resolutio esse dicetur. Sic etiam si circa primum spinalis medullæ processum facta sit aliqua dispositio, per quam cerebri facultas quò minùs ad ipsam perueniat prohibetur, omnia inferiora membra (dēpta facie) sensu, motuque priuabuntur: vbi verò dimidia eius processus pars fuerit affecta, non omnes inferiores partes resoluentur, sed vel sinistræ duntaxat, vel dextræ. Accidit verò nonnullis, vt faciei partes afficiantur tantùm, quemadmodū & vna aliqua particula, vt lingua, oculus, mādibula, labrum: etenim non omnibus ab vno loco principium influit neruorum, vt pote quæ ex diuersis cerebri partibus eos suscipiunt. Contingit etiam in vna quapiam particula amitti sensum seruato motu, vel contra, motum deperdi sensu permanente, quæ etiam resolutionem, seu paralysim pati dicetur, verùm non ita propriè, ac cùm sensus, & motus simul amittitur.

Stupor non in ablata actione consistit.

Stupor quid sit.

In quo differant stupor, et paralysis.

Est & alia neruorum affectio, quæ non in ablata, sed in diminuta cerebri, & neruorum actione consistit, quam stuporem nuncupamus, in quo partium laborantium sensus, & motus minuitur, non autem deperditur omnino vterque, aut eorum alter: quemadmodum in resolutione propriè, aut impropriè dicta contingit, ideoque stupor sentiendi, ac mouendi difficultas appellatur, vel propria quædam in paralysim dispositio. Quò fit, vt parilysis, & stupor in eo differant, quòd paralysis vehementior sit morbus in ablata sensus, & motus actione consistens, vel motus, aut sensus tantùm, stupor verò dibilior morbus reputetur in diminuta sensus, & motus actione suam habens essentiam, & velut via quædam in paralysim consideretur. Hoc autem morbo laborat prædictus ægrotans in toto sinistro latere, quo nisi curetur timor est, vt transeat in paralysim.

A prin-

A principio obortum fuit malum læso cerebro per consensum inferiorum partium, vaporibus sursum eleuatis ex ventriculo, vel hepate, aut aliqua naturalium particularum, cuius lęsio non fuit sensui manifesta, neq; statim rationibus potuit deprehendi. Sentiebat enim per sinistræ ceruicis regionē quandam veluti auram frigidam sursum tendentem, cerebri substantiam, atq; ipsius ventriculos subitò replentem, adeò vt aliquando omnes viæ sensum, & motum deferentes omnino occluderentur, cuius rei gratia in paroxysmos apopleticis similes induceretur, aliquando verò non omnino, sed quadam ex parte, & ita afficiebatur paroxysmis epilepticis similibus, qui desinebant in oris torturam, & in stuporem lateris sinistri: sentiebat enim æger torporem per vniuersas ferè dicti lateris partes, & cùm abundaret pituitosis, ac crassis humoribus, timor erat, ne cerebrum, quod per consensum afficiebatur, aliquando temporis tractu per essentiam, & propriā passionem fuisset lęsum, ita ut ægrotans in veram apoplexiam, aut in totius lateris resolutionem deduceretur, uel saltem stupore per essentiam afficeretur. Augebant hanc suspicionem frigidum, & humidum ægri temperamentum, distemperata nimis versus frigiditatem, & humiditatem regio, qua degit, praua victus, ac viuendi ratio, relictum exercitium, negotiorum curę, quæ animum impediunt, & diuersè trahunt, eiusdemque animi aliæ affectiones, atque perturbationes, quibus natiuus calor assistens, & à concoctionis opere circa alimentum desistens, in causa sunt, vt multę generentur cruditates, & crassi humores in corpore accumulentur, qui ab eodem natiuo calore derelicti, magis augentur: quorum pars à cerebro quotidie recepta per consensum laborante, tantùm potuit cerebrum ipsum labefactare, vt iam per essentiam sit læsum. Verùm non tanta fuit dictorum humorum copia in cerebrum delata, ut potuisset apoplexiā, aut epilepsiā, seu dimidij corporis resolutionē generare: suffecit tamen ad producendū totius sinistri lateris stuporē, qui quędam uelut uia est in paralysim.

Huiusmodi affectio modò stupor, modò non integra paralysis

lysis nominetur, vel dispositio quædam ad paralysim dicatur, cùm in ægrotãte, de quo agitur, ab humoribus frigidis, & crassis procedat, quantùm attinet ad viuendi modum, cibis temperamento calidis, ac siccis pituitosi humoris generationi aduersantibus curari debet. Vtatur itaque æger pane biscocto, atq; anisi semine insperso, & carnibus auium in montibus degentium, quales sunt perdicum, turturum, phasianorum, columborum siluestrium, passerculorum, & ijs similium, & aliquãdo caponum, gallinarum, & pullorum vbi montanæ aues defecerint, & assis potiùs, quàm elixis. Prima mensa sumat passulas vino albo antea maceratas, quibus acini sint ablati, & interiora nucleorum pineorum probè à tunicis, quibus includuntur purgatorum, postrema autem cotoneum, hyeme melle conditum, æstate verò saccharo confectum. Potus sit moderatus, & aqua potiùs, in qua sit decocta saluia addito pauco cinnamomo, & melle, quàm vino quouis vti expedit: vinum enim nocet neruis, tum quòd in acetum aliquando conuertitur, tum etiã quòd vehiculum sit humorum ad læsas partes fluentiũ. Quòd si eius, ob ventriculi imbecillitatem, vsus conueniat, album sit moderatè sumptum, & prædicta aqua medicata valde dilutũ, vel ea, in qua radix chinæ, vel smilacis asperæ parua quantitas fuerit decocta. Aer, in quo degere vitam conuenit, vt ad calorem, & siccitatem vergat oportet: quamobrem aut regio frigida, & humida, quam incolit fugiẽda est, aliaq; calida, & sicca habitanda, aut aer hyemis tempore, vel quandocunque frigidus, & humidus extiterit, igne calefaciendus, vel suffitu rerum calefacientiũ alterandus. Somnus à prandio, vel statim post cænam cauẽdus, idemque debito tempore moderatè sumatur. Exercitium mediocre commendatur, ne labolantes partes immoderati exercitij labore defessæ magis fluxione humorũ tententur. Venter potiùs laxus sit, quàm restrictus, ideoque vbi res postulauerit, clystere irritandus est ex decocto herbarum, seminum, ac florum calefaciendi vim obtinentium, admixtis oleis, & medicamentis, quæ eandem habeant facultatẽ, & ventrem laxum reddere possint. Animi perturbationes vitandę sunt

Stuporis causa.
Curandi ratio.
Cibus.
Potus.
Aer.
Somnus.
Exercitium.
Deiectio ventris.
Animi perturbationes

sunt,atque curæ,quæ animum impediant, & diuersè trahant; dandaque opera vt eorum familiaritate vtantur, qui hilaritatem,gaudiumque asciscere,& animũ à negotijs,& curis distrahere valeant: solùmque ijs sit intentus, quæ saluti prospicere possint, omniũ,quę in humana vita maximè desiderantur,meritò præferendæ,sine qua reliqua delectabilia esse nequeunt.

Cum igitur mali,quo afficitur,pituitosi, crassi, atque viscidi humores in causa sint, primum, quod medicus intendere debet,illorum erit calefactio,attenuatio,& incisio, vt ad euacuationem apti sint: id autẽ fiet rhodomelle, & syrupo stæcados, aqua mulsa,in qua decoctę fuerint saluia,betonica,& maiorana,dissolutis, quibus ægrotãtem vti oportet, donec humores sufficienter concocti sint,& ad euacuationem præparati. Quo tempore medicus eos purgabit,syrupo ex nouem infusionibus rosarum persicarum,cũ infusione agarici trochiscati, & foliorum senæ, facta in aqua infusionis dictarum rosarum,vel cum pilulis cochijs, & de agarico æquali pondere, addita pauxilla portione fœtidarum,vel fumariæ. Huiusmodi autem vacuatio per interualla molienda,paulatim eosdẽ humores concoquendo,& præparando. *Præparatio humoris morborũ facientis.* *Expurgatio*

Dictorum humorum iterata expurgatio non solùm facit vacuationem,sed eorundem etiam diuersionẽ molitur,deriuans à cerebro, & spinali medulla: in quem vsum proderunt etiam acres clysteres ex decocto saluiæ,stæcados,maioranæ,rorismarini,rutæ,hyssopi,& pulegij,in quo ebulliat parum colocynthidis in ligatura, addito sufficienti pondere Hyeræ logodion, & olei rutacei, lilij albi, atq; rhodomellis, cum parua salis gemmæ portione,quibus vti expedit vbi res postulet,aut alijs leuioribus,vbi tanta non vrgeat necessitas. Idem efficiunt suppositoria ex drag.ij.agarici,hyeræ,ac salis gemmæ sing.drag.j. cum sufficienti mellis despumati quantitate; vel cõfecta ex drag.iiij. pulueris hyerę logodion,salis gemmæ,colocynthidis,hellebori sing.drag.j. cum melle despumato, quod sufficiat pro tribus suppositorijs. *Diuersio.* *Clysteres.* *Suppositoria.*

Diuertunt etiam humores masticatoria ex pastillis, qui cõstat *Masticatoria.*

semuncia

semuncia carnis pussularum sine nucleis, hyssopi & maioranæ sing. drag. j. masticher drag. ij. cum mellis sufficienti pondere. Sunt & alij qui conficiuntur ex sinapi, atque piperis sing. drag. j. hyssopi, staphysagriæ, origani, pyrethri sing. scrop. j. carnis passularū drag. iiij. cum mellis debita quantitate. Dictorum pastillorum vnus masticari debet per tēporis interstitiū, vt à capite pituitā ducat. Idipsum præstant caput purgia ex decocto maioranæ, betonicæ, & hyssopi, addendo cuilibet libræ dicti decocti, succi betæ, aut eius radicum vnc. ij. & caulium etiam vnc. j. si opus sit maiori tractione.

Caput purgia.

Post debitam purgationē remedijs calorificis fluxum iam humorem resoluentibus vti expedit, et quę cerebrum, ac spinalem medullam corroborent. Ad quod plurimū conducit theriaca magna Andromachi, vel Mithridatum, si quolibet mane drachmam vnam æger sumat aqua saluiæ, vel stæcados dissolutam; posteaque per aliquod temporis interuallum simili modo drac. ij. diamusci dulcis eodē liquore propinet. Conferunt etiam acori, aut eringij radices saccharo, vel melle conditę. Ad prædictam humorum resolutionem, & partium robur plurimùm etiam facit vnctionum, & fomentorum ex calidis medicamentis continuatus vsus, inungendo posteriorem capitis regionem, qua parte oritur spinalis medulla, vsq; ad postremas colli vertebras, vnguento confecto ex olei vulpini, nardini, nucis muschatæ, & euphorbij, sing. drac. j. succi hypericonis, & salviæ sing. drac. ij. castorei, sagapeni, nucis muschatæ, garyophyllorum piperis longi, sing. drac. j. florum stæcados drac. 5. cum vini albi antiqui, & ceræ sufficienti quantitate pro vnguento conficiendo. Et fouendo etiam prædictas partes fomentis, cum spongijs madefactis in decocto saluiæ, hyperici, hyssopi, maioranæ, betonicæ, pulegij, polij montani, serpilli, satureiæ, spicæ, florum stæccados, & rorismarini, cū vino albo admixto. Confert quoque sacculus capiti impositus confectus ex pulueris maioranæ, saluiæ, rutæ, foliorum lauri, sing. drag. 2. spicæ, mastiches, florum stæcados, & rorismarini, garyophyllorum, maceris, nucis muschatæ, sing. drac. 5. & rosarum pugillo vno. eiusdem

Resolutio, & corroboratio. Medicamenta.

Vnguēta & fomenta.

Sacculus.

Eisdemq; remedijs circa dorsi partes vtendum, vnde oriuntur nerui sensitiuam, atq; motiuā facultatem ad crura deferentes.

Aliquando vt prædicta remedia magis suam imprimāt vim, optimum est applicare cucurbitulas citra scarificationē supra colli, & totius dorsi vertebras: posteaq; recipere circa infirmū latus calidum vaporem ex ignitis lateribus vino albo, & antiquo infusis. *Cucurbitula.*

Balnea naturalia maximè probantur, quibus priùs vtendū cæteo, quàm cauterijs, tum quòd prope est æstatis principium, quo tempore magis suam imprimunt vim: tum etiā, quòd vniuersalius remedium præstent, resoluendo in capite, & vniuerso corpore abundantes humores, & læsas partes corroborando; quod melius perficitur, si capitis posterior pars, & colli vertebræ eadem balnei aqua irrigentur, vt ad eas sanguis, spiritus, & calor trahatur. *Balnea naturalia.*

Conueniunt quidem balnea de Arnedillo vocata, nitrosa enim sunt, partimq; sulphurea, & aluminosa, maximè quòd sunt ibi siccæ cauernę naturaliter calidæ, conuenienti domicilio, atq; tegmine circundatæ, quæ cùm ad conuenientem distantiam per scalam ab aliquibus fuerint ingressæ, statim calor per vniuersum corpus sentitur, pori aperiuntur, & copiosus fluit sudor: ideoq; ægrotantes solent experiri huiusmodi auxilium, quando per balnea non integrè sanantur, quo nonnulli in pristinam salutem fuerunt restituti. *Probantur balnea de Arnedillo.*

Balnea, quæ de ledesma dicuntur, sunt magis sulphurea, & aluminosa, ideoq; intensiori calore prædita, vnde fit, vt neruorum passionibus à frigida causa obortis sint magis accōmodata: non tamen ibi existunt prædictæ cauernæ ad concitandum sine balneo sudorem, neque est ea domus, & camerarum aptitudo, quæ pro debita ægrotantium curatione desideratur. *Balnea de ledesma neruorum passionibus accōmodatissima.*

Smilacis asperæ, & coticum ligni indici, vel radicis chinæ decoctum ad concitandum sudorē plurimùm valet: habet enim vim calefaciendi, exsicandi, atq; attenuandi crassos, & lentos humores, & per halitum digerendi, seu per cutis poros euacuādi. Quare nullum est dubium conuenire eius vsum in dicta affectione, *Smilacis asperæ, & ligni sancti, vel radicis chinæ decoctum, in ner*

P fectione,

narum frigidis passionibus laudatur.

fectione si exhibeatur ea curandi methodo, quæ passim obseruari solet. Quia tamen instat iam tempus ad balnea naturalia magis opportunum, quo eorum vsus maximè commendatur, eo quòd intensius calefaciant, & exficcent, abundantioremq; sudorem excitent, ideo præferenda consulerem.

Venæsectio in frigidis morbis reprobatur.

Venæsectio per magnas venas, aut per eas, quæ in sede sunt, in affectibus frigidis ab humoribus frigidis, & crassis pendentibus non probatur, ne affectæ partes calore, & sanguine destitutæ magis infrigidentur: nisi natura ex retento melancholico sanguine grauata ad dictas venas eum expellat, quo referta externum aliquem tumorem repræsentent: tunc enim expediet per sanguisugas sanguinis in illis contenti moderatam facere euacuationem, præsertim quòd dictæ venæ cum lienis venis maximam habent communionem.

Et si post balneorum vsum stupor in totum fuerit abolitus, aut maiori ex parte diminutus, præcautionis tamen gratia debito tempore iterandæ sunt purgationes, prædictis, aut similibus medicamentis, & topicis connumeratis remedijs, prout res postulauerit, vtendum: & vt diuersio, & reuulsio fiat humorum à capite ad spinalem medullam fluentium, & neruorum sinistri lateris originem, mea quidem sententia maximè proderunt fontanellæ duæ cauterio ignito, aut caustico medicamento in dextro, & sano latere concitatæ, ad quas superflui fluant humores, vna quidem in humero, qua parte à peritis chirurgis fieri solet (cùm enim parum à capite, & collo distet, per eā simul & euacuatio, & humorum diuersio fiet:) altera verò in crure, quoniam cùm valde distet ab affectis partibus, eorundē humorum non modò euacuationem, sed & reuulsionem efficiet. Et licet aliqui grauissimi auctores in totius dimidij corporis paralysi cauteria super diuersas capitis partes applicare iubeant, vel super primas colli vertebras, & lumborum vltimas, quæ omnes partes ægræ sunt, id faciunt quando intendunt solam vacuationem, & resolutionem humoris in malè affectis locis contenti: sicq; facta vstione super laborantes particulas, ex eisdem fit vacuatio. At quia intēdimus non vacuationem fluxi

Fontanellæ in sanis partibus factæ pro diuersitate loci, tū deriuationē tum reuulsionem efficiunt.

Cauteria super læsam partem solū

iam

iam humoris, sed fluentis potius, & deriuationem simul, atq; reuulsionem ab affectis partibus, ideo cauendum esse præcipimus, ne super læsas partes cauteria applicentur, quæ super sanas aplicanda esse consuluimus, vnum quidem super dextri humeri partem à capite non longè distantem, vt assidua humoris vacuatione per fontanellam ibi concitatam, tanquã per partem cerebro, & spinali medullæ propinquam, fiat etiã quę intenditur deriuatio: alterum verò in crure, non modò causa vacuationis fluentis humoris, sed etiam reuulsionis gratia per partem distantiorem. Idq; ex eo magis conuenit, quòd stupor, quem patitur ęgrotans non est integra, & facta iam paralysis, sed fiens potiùs, quæ cæpit à capitis læsione per consensum: quòd si cauteria capiti, & primis colli vertebris, atq; vltimis lũborum applicarentur, cùm omnes istæ partes stupore sint affectæ, proculdubio maior tractio humorum fieret ad lęsas partes, quàm eorundem vacuatio, sicq; ex non integra paralysi, integram conficerent, & ea, quam intendimus deriuatio, aut reuulsio non sequeretur, citraq; vllum ęgrotãtis commodum sordities, & pus in partibus omnibus manifestis appararent. Quamobrẽ satiùs erit vti cauterijs super sanas partes à me prędictas. Quòd si post balneorum vsum malum valdè cedat, & minuatur, satis erit dextri, & sani humeri fontanella: quoniam temporis successu si res postulet, altera in eiusdem lateris crure aperietur occlusa priori, eiusq; cauitate carne oppleta, & cicatrice inducta. Interim autem proposita remedia non sunt cõtemnenda, sed per interualla iteranda, donec æger integra fruatur sanitate, quam firmissimam, & fęlicissimam Deus optimus maximus illi prestet.

contenti humoris faciunt euacuationem, ac autẽ deriuationem an reuulsionẽ.

Stupor est fiens paralysis.

NEREI NERI MEDICI FLORENTINI ASSERTIO,

QVOD IN SINISTRI LATERIS STVPORE A causa frigida oborto licet mittere sanguinem per sedis venas, & applicare cauterium occipiti.



ERLEGI quæ doctissimè, ac copiosè scripta sunt à præclaro medico, regis Neapolis pro curando stupore totius dimidij corporis, in quibus non modò naturam ægri, verùm etiã mali ipsius vim inspexisse præsefert. Præsidia igitur omnia, quæ ab ipso proponuntur comprobamus, cùm in recensenda causa symptomatũ, quibus nobilissimus Melchior de Astudillo affligitur, morborumq; essentia penitus consenserimus. Quædam autem sunt in quibus ab ipso nonnihil discrepare ratio nos cogat.


Primum de sanguine ex venis hemorrhoidalibus per sanguisugas detrahendo, dum asserit timẽdum esse, ne sanguine inanitum caput refrigeretur, quod à copia frigidi humoris ęgrũ est: deinde cum inquit, si mittendus sit, non esse extrahendũ, nisi adhibito balnei auxilio: crediderim potiùs contrariũ, cùm antea statuerit excellentissimus vir, malum ex consensu partiũ infernarum ortum duxisse inter initia, & in præsentia, licet cerebrum per se primò affectum sit, lædi nihilominus à subiectis partibus. Quo posito, sequitur rectè per sedem sanguinẽ mitti ad vacuandas partes, quæ ad caput transmittunt, ad compescendum calorem hepatis, à quo vapor attollitur, ad reuellendum demum ab ipso capite. Neque obstat morbi in capite versantis genus, quod frigidum est, maius enim consequitur æger auxilium ijs, quas diximus rationibus, quàm detrimentum ex ea, quæ suspecta est refrigeratione, quàm nec præsentes medici timuere in sanguine ex cubito detrahendo. Prætereà quam quod duo tantùm scopi habentur sanguinis mittẽdi ex Galeno libro de curandi ratione per sanguinis missionem, virium

rium scilicet robur, ac morbi magnitudo, cætera augent, aut minuũt ipsius detractionem: habemus morbi magnitudinem cerebro affecto, vires præsens medicus examinare debet, quæ non requiruntur adeò vigentes pro tam diminuta sanguinis extractione, præsertim cùm venę sedis exiles sint, sanguisque guttatim exeat, quo nõie vix imminuere uires iurè creditur.

Quòd suadet, sanguisugas opportune post vsum balneorũ applicandas esse sedi, consideratione dignum est, meo tñ iuditio melius esset ante balneum eisdem vti, cùm sanguinis detractio corpus vniuersum vacuet. Et licet balneũ etiam toti corpori, & loco affecto accommodetur, tñ post ponendũ esse arbitramur.

Quantùm attinet ad cauteria, non negamus sperandũ fore auxilium ab vlceribus brachij, & cruris sani: iuditio tamen nostro, atque aliorum quos Romæ, Venetijs, Patauij, Florentię, alijsque Italię vrbibus medicinam facere obseruauimus, ipsaq; experientia edocti, maius adipiscetur æger iuuamentum ex occipitis vlcere, quàm ex ijs, quę alibi excitantur. Ratio est in promptu: siquidem ex proximo eodemq; ferè loco, vbi materia morbifica versatur in paralysi, & educitur, atq; foras trahitur, nulla re uera fit attractio, aut uix fit: attrahit enim calor, atq; dolor, quę nullius solent esse momenti in vlceribus istis, presertim cùm ętate, indolentia ferè euadant vsu ipso. Timenda esset attractio si imperaretur corpore vniuerso non euacuato. Neq; minus etiam nos mouet, quòd morbus initiũ duxerit à consensu partium infernarum, cùm ex historia satis liqueat, cerebrum iam annum pręterijsse, ex quo per essentiã patitur. Miror uirum hunc adhibere canale aquę sulphureę, & nitrosę, quę verè attrahunt, moxque repudiare ad occiput vlcus, in quo nulla effectu digna fiat attractio à subiectis sedib⁹, sed certam potiùs pręstet euacuationem à loco affecto; id autẽ est commodum pręsens pro dubio incommodo spernere. Hac ratione malè inureret coxendicem Hippocrates, malè etiam Aetius occiput, & caput ipsum in paralysi. Nihilominus, vt alijs literis diximus, si caput, atque occiput perfundenda sunt anasi aquæ medicatæ, occiput ante huiusmodi auxilium non

inura-



inuratur. Neq; etiam vbi præsenti medico visum fuerit, occiput, atque spinalis medullæ exortum tantummodò prædicta aqua medicata debere perfundi, occipitis vlcere opus erit, aut vbi nobilissimus æger balneis per vniuersum corpus vti uoluerit absq; canali, licebit abstinere ab occipitis inustione, donec sint peracta, nisi sit aliquid, aut exoriatur, quod flagitare dictum inustionis remediũ videatur. Poterit etiã mos geri ęgrotanti, vbi balnea fuerit expertus, differendo occipitis vlcerationem, præsertim si ex eis ea sequatur vtilitas, quæ euenire potest. De vlcere brachij, ac cruris sani conuenit inter omnes: de eo verò quod in occipite fit, iam aperui quid sentiam.

ANTONIVS ALVAREZ

NEREO NERIO MEDICO DOCTISSIMO. S. P. D.

Confirmatur sententia de vitanda venæsectione, & cauterio in occipite prohibendo in dimidij lateris stupore à causa frigida oborto.

EPISTOLA TERTIA.



PERLEGI tuam assertionem vir eruditissime, qua nostram sententiam improbare contendis de renuenda, vitandaq; sanguinis missione non modo per brachiorum, sed etiam per sedis venas, & de cauterio in occipite prohibẽdo in lateris sinistri stupore à causa frigida oborto, quo afficitur Illustris vir Melchior de Astudillo corpore obesus, temperatura ad frigiditatem, & humiditatem inclinans, parum exercitatus, animi affectionibus, & perturbationibus oppressus, & in regione distemperata, maximèq; ad frigiditatem, & humiditatem vergente degens, prauaq; victus ratione utens. Quamobrem in prædicto frigido affectu non esse tutum sanguinem extrahere per venas sedis, aut per maiores venas asseruimus, ne partes, quę calore, & sanguine indigent,

facta euacuatione magis laborent. Quantum enim ad indicationem, quam huius morbi natura ostendit, non cōuenit sanguinis detractio, quia morbus frigidus est, & à causa frigida ortum habet, sanguinis autem detractio refrigerat: cuius rei gratia in curatione completæ, aut diminutæ resolutionis plurimi antiquorum, & iuniorum medicorū missionis sanguinis nō meminere, & si Aetius redundante sanguinis copia principiū curationis resolutionis sumat à venæsectione, nisi prohibeant vires, habitus corporis, tempus anni, uel regio, studium, prægressus uictus, Veneris immoderatū exercitium, atq; reliqua, quæ prohibere solent uenæsectionem: quę ferè omnia cū in ęgrotante, de quo sermo fit, fuerint reperta, eam ob causam in eo uenesectionem esse uitandam consului, præsertim cùm præsentes medici inter morbi initia abunde ex cubiti uena sanguinem (vt dicis) extraxerint; qua ratione magis cauenda nunc est sanguinis missio ex quibusuis uenis morbo inualescēte, aut in statu, seu declinatione persistente, cùm idemmet Aetius adhuc permittentibus uiribus, & reliquis, quæ prohibere solent sanguinis extractionem, eam moderatam fore consuluit, per quam paululum imminuatur materia, ne maiori facta euacuatione refrigerentur ægri. Sicq; Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem dixit, ubi extantibus plenitudinis signis ualentes facultates fuerint, uenam esse incidendam, nisi frigidus per corpus collectus sit succus, tuncque diligenter aduertendum quatenus ualeat, & robusta sit uirtus, quatenusq; humor ipse sit frigidus, nam exoluta ab id genus affectibus uirtus, adhibita sanguinis missione in extremum malum recidere solet, ut nequaquam postea restitui possit: pręsertim si regio fuerit natura frigida, tum natura quoq; hominis frigidior, tūc per sanguinis missionem, & totū corpus grauiter refrigeratur, & accidunt nonnulla, quę ad grauē sequuntur refrigerationē, symptomata. Quocirca inquit eos, qui sic affecti sunt, sanguinis missione euacuare non conuenit, sed frictionibus, mediocriterq; excalfacientibus unctionibus, tum potionibus humorum crassitudinem incidentibus, ac modice calefacientibus.

Cap. 6.

Cap. 6 eiusdem libri.

Neque

Cap. 9. Neque obstat quòd eodem Galeno auctore citato libro duo tãtùm scopi habeãtur ad sanguinem mittendum, virium scilicet robur, & morbi magnitudo: vnde colligis, adest morbi magnitudo, quia cerebrum affectum est tanquam pręcipuum nostri corporis membrum, permittunt vires, secanda igitur vena est, etiam si humores morbum concitantes frigidi, ac crassi sint. Verùm si perlegisses ea, quæ paulò post à Galeno dicta sunt eodẽ loco, aut mente perpendisses, statim te falsa collegisse intellexisses. Et si enim verùm sit pręd ictos duos scopos à Galeno fuisse propositos, quibus pręsentibus necessum sit sanguinem mittere, quando tanta humorum copia accumulata est, quanta reperitur in ægroto pręd icto frigido morbo laborante, tũc deficit alter scopus, nempè vires, quę humoribus frigidis, atque crassis lacessitæ, & diminutę, venę sectionem ferre nõ possunt. Et ideo Galenus dixit. Neque enim vbi tanta crudorum humorum copia accumulata est, vt secandam uenam prohibeat, ratio redarguitur: nam istis virium robur non adest. Vides igitur quomodo Galenus ipse tuę obiectioni in citato à te loco satisfaciat, & quam clarè ex eius dictis manifestum sit, maius nocumentum fieri venasecta ex ea quę necessario in frigido capitis morbo consequitur refrigeratione, quàm emolumẽtum ex sanguinis euacuatione, etiam si per uenas sedis mittatur, & malum ex consensu partium infernarum inter initia ortũ duxerit, & cerebrum iam primario affectu laborãs à subiectis adhuc partibus quodammodo afficiatur. Quo posito rectè sequi contendis, per venas sedis sanguinem esse mittendum ad uacuandas partes, quæ ad caput transmittunt, ad cohibendum hepatis calorem à quo vapor attollitur, & ad reuellendum ab ipso capite noxium humorem. At sanguinẽ ex venis sedis per sanguisugas extractũ horum nihil efficere posse intellexisses, si Galeni librum de hirudinibus, reuulsione, atque cucurbitulis perlegisses, cuius hęc sunt verba. Illud quoque compertum habere oportet, hirudines ipsas sanguinem illũ attrahere, qui carni adiunctus est, non qui in imo corpore continetur. Quomodo igitur doctissimè vir, sanguis per sanguisugas ex venis sedis

Vires sunt labefactatę ijs qui laborant copia frigidorum, ac crudorũ humorum.

Cap. 1. Hirudines trahunt sanguinem carni adiunctũ nõ eum qui

sedis attractus, & euacuatus (cum sit ille, qui carni adiunctus est, non qui in imo corpore continetur) poterit partes euacuare, quæ ad caput trãsmittunt? aut qualiter valebit hepatis calorẽ cohibere, à quo vapor attollitur, cùm talis euacuatio non transcendat carnem venis sedis circunstantem, nec vlla sit venarum sedis cum hepate manifesta communio? Præterea, qua ratione ductus existimas vacuationem per sanguisugas ex venis sedis reuellere posse noxium humorem ab ipso capite, etiã si nõ fuisset crassus & tenax, difficileq; mobilis, qualis in ægrotante reperitur, cùm ex Galeni sententia hirudinum vsus pro cucurbitulis sit, quas non quidem mẽbris ipsis, quæ cœperint laborare, sed eis, quæ laborantibus coniuncta fuerint, reuulsionis gratia esse imponendas dixerit. Qua ratione liceret potiùs vti hirudinibus circa partes cerebro laborãti propinquas, quàm circa sedis venas adeò distantes: præsertim cùm sanguisugæ solùm trahant sanguinem carni adiunctum, cuius vacuatio ex sedis venis in tam longa distantia nihil à cerebro trahere poterit, & trahendo reuellere.

in imo corpore continetur.

Cap. 3. citati libri.

Quod mihi imponis, post vsum balneorum suasisse applicãdas esse sedi sanguisugas, quòd tunc sit opportunum tempus euacuationi, quę per illius venas fit, ex his quę à me scripta sũt procurando prædicto frigido affectu (si rectè à te fuerunt animaduersa) colligere nõ potuisti. Cùm enim in medendo morbo illo consulerem nullatenus mittendum esse sanguinem, nõ modò per cubiti venas, sed per eas etiam, quæ in sede sunt, ne pars calore, & sanguine destituta magis refrigeraretur ex sanguinis vacuatione, subiunxi deinde, tũc commodè posse fieri è venis sedis alicuius portionis sanguinis melãcholici euacuationem propter communicationem, quam habent cum liene, qñ venæ ipsę apparuerint tumefactæ, & melãcholico sanguine repletæ. Id autem non est (vt asseris) proponere, opportuniùs post vsum balneorum tali auxilio vtendum esse: quinimo nostra sententia fuit, neq; ante, neq; post balneum conuenire in frigido affectu, nisi eo tempore, quo venæ sedis fuerint tumefactę, & melãcholico sanguine infarctæ, illius duntaxat euacuandi gratia.

Q Quia

Quia in stupore, quo afficitur ęgrotans, timor est, ne crassus, frigidusque humor à capite in sinistrum latus, atq; in illius neruos fluens integram constituat resolutionem, ideo vt ad aliam partem illius humoris diuersio fieret, atque reuulsio, consului in brachio dextro, & crure applicanda esse cauteria, formandasque duas, quas vocant fontanellas, ad quas deriuentur, trahanturque, atque reuellantur humores: hoc enim modo fiet simul deriuatio, & vacuatio per dextri brachij fontanellam partibus affectis propinquam: reuulsio verò per aliam maximè distantem in crure sani lateris formatam. Et licet annus præterierit, quo cerebrum laborat stuporis affectione per essentiam, quia tamen semper à subiectis partibus fouetur, & non est integra, & confirmata paralysis, sed diminuta potius, & quidam lateris stupor, ideo sanæ, non autem ægrę partes cauterijs inurẽdæ sunt, cum intentio sit, facere non modò euacuationem, sed diuersionem etiam, atque reuulsionem humorum ad læsas partes fluentium, quod per ipsasmet partes affectas fieri nõ potest. Si enim perpendas, quę de deriuatione à Galeno passim dicuntur, inuenies profectò eiusdem generis esse cum vacuatione facta per particulam, quę fluxionem suscipit, nisi quòd deriuatio per aliquam vicinarum partium fit; exempli causa, quãdo per gurgulionem, vel palatum fertur fluxio, per nares certè ipsius deriuatio congruenter fiet, irritatione à nobis facta, vel prouocatione per acria medicamenta: quando verò ad oculos, vel aures succi vergunt, deriuare ipsos non in nares tantùm, sed & in ipsum etiam os debemus, medicamenta exhibentes, quæ humorum redundantiam, quæ in oculos, vel aures ex capite fertur, ad hos traducant: pari modo fiet deriuatio, si humorem à capite ad spinalem medullam, & neruos sinistri lateris fluentẽ, ad dextri humeri partem collo magis vicinam (facta ignito ferro conuenienti fontanella) diuertamus. Riuare enim est per riuos ducere, deriuare verò, est à riuis ad latera diuertere. Sic igitur dicta fontanella, quæ intenditur humoris deriuatio, & vacuatio simul fiet. Ex eiusdem etiam Galeni mente ita reuulsio efficitur, in humoribus videlicet partes superiores petentibus ad

Deriuatio fit per aliquam vicinarum partium.

Reuulsio quomodo fiat.

bus ad inferiores: & contra, si inferiores petant partes, ad superiores: si dextram, ad læuam: item si in anteriorem defluxerint humores, reuellendi sunt in posteriorem, semper enim ad oppositas partes reuulsio facienda est. Qua ratione laborante latere sinistro stupore dicto, congruè reuulsionis simul, & vacuationis gratia consuluimus fontanellam alteram faciẽdam in crure dextri lateris. Non damnamus quidem capitis, & occipitis cauteria, atque circa colli vertebras, cùm integra, & confirmata resolutio est, & in dictis partibus non tam fluens, quàm fluxus iam, & impactus est humor, cuius vacuandi, & non diuertendi, aut reuellẽdi gratia in coxendicis morbo Hippocrates coxendicem, & in integra, & confirmata paralysi Aetius occiput, & caput ipsum inurere iusserunt: quod non præciperent in affectibus, qui humorum deriuationem, & reuulsionem postulant, qualis est stupor dictus sinistri lateris, qui fiens, & velut in via, non autem facta paralysis est. In fiente autem morbo si ab affectis partibus fieret euacuatio, qualis contingeret si in occipite, aut colli vertebris cauterium ignitum applicaretur dicto ægrotanti, maius incommodum sequeretur, quàm emolumentum ex euacuatione alicuius portionis eorũ, qui iam fluxi sunt, & affectis locis hærent, etiam si vniuersum corpus fuerit ante expurgatum: in prædicto enim affectu talis crassi, frigidique humoris copia ad læsas partes fluentis reperitur, & in dies magis ac magis in ægrotãte procreatur, vt sæpius expurgans exhibitum medicamentum eam nõ possit euacuare. Non enim facili negotio crudi humores ita concoquuntur, & idonei fiunt ad euacuationem, quin illorum plurimi remaneant incocti, qui noua generatione adaugentur, & post iteratas expurgationes, ad læsas particulas etiã fluunt; in quibus si fontanellæ fierent, maior concitaretur fluxio, quàm succederet cõtenti humoris euacuatio: tũ propter calorẽ ignis, aut caustici medicamenti: tum ob continui solutionẽ, quæ dolorẽ concitant, & tractionis causa sunt. Neq; ratio, qua nostrã redarguis sentẽtiam quicquã conuincit, dum miraris dãnasse me cauteria in patiẽtibus partibus propter humorum ad ipsas

tractionem, & concesisse balnea naturalia nitrosa, & sulphurea ex parte, atq; aluminosa, & earundem aquarum superfusiones in occipite, & collo, quæ suo calore trahunt etiam humores ad prædictas læsas partes: nam prędictarum aquarum balneum totum ferè corpus ambit, & æqualiter excalfacit, donec partium ipsius pori reserentur, & per eos superflui humores sudore expellantur, & medicatæ illius aquę in occipite, atq; primis colli vertebris super infusę, virtute, sanguis, & natiuus calor, atq; spiritus ad læsas partes trahantur, quod emolumentum potiùs, quàm incōmodum illis præstat. Præsertim, quod calefactio, & tractio fiant per omnes totius corporis partes ab intimis ad extima sine dolore: secus autem contingit in fontanellis super læsas partes, per quas solùm fit tractio cum particulari earundem calore, & dolore. Ex dictis manifestum iam erit dicto egroto sinistri lateris stupore laboranti, cùm adhuc integra resolutione non afficiatur, supra læsas partes nullatenus cauteria esse applicanda. Vale vir eruditissime, id certissimum existimans, me veritatis indagandæ, atque inueniendę, non contradicendi gratia hæc scripsisse.

NEREVS NERIVS
ANTONIO ALVAREZ MEDICO CLARISSIMO S. P. D.



CVm laudauerimus pro curãdo Illustri Melchiore de Astudillo, & sanguisugarum ad sedem applicationem, & vlcus in occipite excitandum, quæ sunt à te postea improbata, non est cur mirere quòd sententiam nostram postmodum tutati fuerimus. Hanc tu rursus postremis tuis literis funditus euertere contendis, quod me maxima voluptate affecit. Mea enim abs te legi, ac studiosè animaduerti, quam obrem admodum non lęter? Quãdoquidem aut examine tuo probata mihi erant retinenda, aut ipsorum cognita futilitate

tanquam

tanquam inania penitus abijcienda. Vt cunq; autem ex literaria hac disceptatione id omnino ero assequutus quòd doctissimi hominis scriptis, ac cõsuetudine fuerim oblectatus.

Sanguinis igitur missio, vt ad rem ipsam accedamus, proposita fuit à nobis morbo existente magno, modò vires ferrent, quas præsenti medico examinandas reliquimus, neque enim tanto locorum spacio diuisi eas ad lãcem appendere dabatur; cùm in arte medica si quid est coniecturale, id sit certa quantitas: nobis tamẽ persuasum erat vires esse toleraturas; quod postea testimonio literarum Arellani medici, qui curationi præest, confirmatum fuit, auxilio huic assentientis. Galenum, aut alios authores nobis opponere sanguinẽ mittere vetantes, vbi copia crudorum succorum viget, minimè oportet: siquidem & nos, & quiuis alius in eàdem esset sententia. Erit igitur quęstio facti, non iuris, vt iuris consulti loquuntur. Nobis tot cruda non fuere significata: quæ si adsunt vt asseritur, vix tueri poterit sanguinis missio per hemorrhoides à te admissa, vbi venæ sedis turgeant. Quod enim per se deterrimũ est, per aliud nunquam proderit: inter deterrima autem iurè numeratur sanguinem minuere corpore frigidis succis referto. Aetatem autem, victus rationem, & cœlum in quo degit, addere, quę ob frigiditatem respuant venęsectionem, consideratione digna sunt: cæterum responsum iam fuit, hæc omnia ad vires tandem referri: præsertim cùm laborantis temperamentum ab ortu calidum, & humidum fuerit, nunc verò inclinãte ætate calor quidem intemperatus sit, & adhuc ad eam non peruenerit frigiditatẽ (si vera sunt quæ ad nos perlata fuere) vt refragari queat sanguinis missioni. Negas etiam genus affectionis frigidum postulare sanguinis missionem, neque admodum pręscribi ab authoribus. Aetius quidem, quem tu affers, non ob redundantiam sanguinis iubet secare venam, sed vt superãs humor euacuetur, dicens nullum aptiùs principium in his haberi posse, quàm si auspicemur à venæsectione, si quidem ætas, habitus, tẽpus, studium, prægressus victus, & reliqua permiserint, quæ prohibere solent sanguinis missionem: moderatam autem de-

tractionẽ facere iubet, ne perfrigerẽtur ęgrotãtes. Quapropter cauet refrigerationẽ Aetius, ne destitutæ calore partes affectæ, atq; humores morbũ creantes contumaciùs obstẽt discussioni. Ipsi tñ Paulo, Alexãdro, cæterisq;, qui in curationibus morborũ tradẽdis versantur, sat fuit ea docuisse à qbus proximè paralysis proficiscitur, humores videlicet plerunq; neruos obstruẽtes: in eis autẽ demonstrandis, q̃ alibi gignuntur, & capiti trãsmittuntur, non admodũ solliciti fuere, siquidem id iam vitiũ est per essentiã in sede, quæ consensum præstat, & sibi propriã, ac peculiarẽ postulat animaduersionẽ, cùm symptoma in nobilissimo ægrotãte à consensu partiũ infernarum ortum duxerit. At cùm in præsentia tuo, & oĩum arbitratu ab eodẽ consensu malũ foueatur, quòd ad locum etiã patientem humor feratur, non frigidus tantùm, sed cum calido mistus, nihil discriminis aderit augendi affectionem præter naturam, frigore aucto magis quàm par sit. Quandoquidem quod per consensum accipit caput à subiectis partibus, aut vapor est, aut humor: vapor non nisi à calore eleuatur, quem quidem calorem sedare expedit: humor frigidus capite non calefacto, neq; dolente, nõ est cur trahatur, sua enim vi locum superiorem petere nescit, quarè expulsus illuc irruet; quod fieri non solet, cùm valdè incommodum sit naturæ frigidos succos in superiorem locum iacere. Verisimilius igitur erit, caput per consensum lædi à subiectis sedibus, quia ab ipsis feratur tum vapor, tum humor vapidus, non simplex, neq; vnius modi, sed ex calidis, ac frigidis permistus, succorum autem, ex quibus fluit, fontes ventriculus, ac iecur ministrant. Quæ si vera sunt, non fuerit abs re ratione partium per consensum lędentium verè sanguinem per sedem detrahere homini, qui medicorũ ope reliquias omnes paralysis profligare instituit: pręsertim vt diximus, cùm illud accedat, quòd materia, quę in loco affecto versatur, nõ frigida est vniuersa, sed cũ calidis mista, quod his verbis nobis medicus, qui ęgro assistit, significauit. Percipit inquit, in brachio dolorem sępe, quod argumento est à medulla spinali destillare materiã ad ipsum dolore, & calore vexatum, & profectò destil-
latio

latio mista fuit magna copia calidi succi. Sequitur igitur, cùm calor præter naturã relictus fuerit in brachio, & cerebrũ à consensu partium infernarũ lædatur, crassiore sanguine, ac melancholico redũdante in nobilissimo homine, timorem vllum ab hirudinibus nõ superesse refrigerationis immodicę totius corporis, capitis, aut loci à symptomate vexati. Quæ ratio curandi à pręcepto Galeni non abhorret, qui exemplo vsus Hippocratis Margei famulę sanguinem extrahentis ea authoritate ratum fecit, licere in affectu frigido sanguinẽ mittere: quarè audatiùs mitti poterit per venas sedis, quòd minus incommodũ vires, & calor innatus patiantur ex sanguisugis, quàm ex venę sectione. Meminisse etiam oportet in ipso symptomatum initu non modò crus tremuisse eius deperdito motu, verùm etiã cor haud leuiter à melancholico succo malè habuisse. Aderat febris, insuper vrinæ reddebantur crassę, ac rufæ, paruę postulæ cum pruritu vniuersum corpus occupauerant, brachiumq; calore acri infestabatur: num hęc cruditatem illã insignem indicent, nec ne? vnicuiq; erit in promptu discernere. Nos crassiorem sanguinem adhuc superesse remur, causamq; effectiuã esse calorem non satis perdomitum, atq; ad superiora mouentem. Quamobrem sanguine per sedẽ misso obseruabitur Hippocratis pręceptũ illud, quo iubet deueniendũ esse ad causam, & causę principium. Sed quoniã posita vtilitate remedij, malè adhuc videmur consuluisse nobilissimo ægroto, cùm quæ per hæmorrhoidales venas fit vacuatio à sanguisugis ea nõ possit pręstare, quę polliciti sumus, videamus an ad id efficax sit remediũ nec ne? vt cognoscatur num nobilissimum hominem deluserimus, ipsiq; in turpissimo errore deprehendamur. Cum autem cõfutatio omnis in Galeni authoritate nitatur, asserentis hirudines trahere tantũmodo sanguinem carni adiunctũ, & vicem cucurbitularũ subire, & minimè ambiguum sit apud Galenũ sanguisugas exonerare posse particulã cui admouẽtur, aut illi proximam, ab ipsa deriuando, non tñ posse fluentẽ humorem vacuando à loco distanti reuellere, idq; nemo sit qui ignoret: posteritas tñ, & ratione, & experimento edocta pro totis ẽt corporibus inaniẽdis sanguisugas ad sedẽ admouere inuenit.

Lib. de cur. rat. aduers. Erasistratũ.

Et

Et quis enim obſecro duarum, trium, pluriumq; librarum ſanguinem ex cute affirmauerit ſcaturire, carneq; ſedi proxima? Vidimus nos ſæpe ſæpius biduum ſemotis hirudinibus ſanguinem indeſinẽter fluxiſſe, neq; vllo remedio ſiſti potuiſſe; quin quindecim aliquand[illegible] plures libras exiuiſſe, minùs etiam quàm verebatur labe[illegible]ato virium robore: neque infrequẽs eſt labor chirurgorum in huiuſmodi ſanguine cohibendo. Hirudo ſedi applicata, quia nimirum ibi cutis adeſt tenuiſſima, non modo ipſam ſcindit, verùm etiam hæmorrhoidales venas in podicis orbe circumdiſpoſitas, atq; in ſummitate extantes: ro[illegible]do .n. ſuo ore animal cutim diducit ac lacerat, vulnuſq; [illegible]um infligit inſtar literæ T maioris: vulnera autem, quę venas ſecant (pauca enim ex multis id faciunt, quando venæ dictæ non turgent) eadem, poſtquam ſaturæ deciderunt hirudines, copioſum ſanguinem exhibent. Montanus celeberrimus ſeculi noſtri medicus à ſuctione hirudinum aperire venas ſedis cõſuluit, præſertim addito aquę calidę vapore: nobis prior opinio magis arridet. Siue autem aperiantur, ſiue ſcindantur venæ illæ, ex copia ſanguinis quem fundunt ſatis ſuperq; innoteſcit, nullum hęſitandi locum relictum eſſe hirudines ex alto vniuerſum corpus vacuare, non tantùm tenuiorem ſanguinẽ educendo, verùm & craſſiorem. Negare autem hæmorrhoidales venas conſenſum cum hepate habere, ſenſui ipſi, & ob id ijs, quę doctiſſimi Anatomici ſcripſerunt, valdè refragatur: plurimę enim à ramo venæ portę exoriuntur, Veſalio, Realdo, & Valuerdio teſtibus: quædam ex venę cauę ramulo, Veſalio authore; cùm etiã impoſſibile ſit hæmorrhoides fieri, niſi ob multitudinem, & craſſitiem ſanguinis ora quarundam venarum aperientes, hepate ad ipſas reponente fęculentum ſanguinem, & melancholicum: lien autem (vt noſti) ad vẽtriculum potiùs eundem ſuccum eructat, cum quo habet cõſenſum famis procreandę gratia. Quod ad ordinem ſpectat ſanguinis mittendi, quem ab vſu balneorum iniungi abs te arbitrati fuimus, ingenuè fatemur ab exẽplari nos tuarum literarum deceptos fuiſſe, Italico facto ex hiſpano.

Alterum

Alterum caput tuarum literarum ad inustionem occipitis pertinet, cui ante quàm satisfaciam, supponendum mihi est ex historia, symptoma grauius extitisse cum primùm accessit, atque impetum fluxionis iam sedatum fuisse, cùm anno iam elapso æger in dies mitius malum fuerit expertus, quarè versamur in declinatione morbi iam d[illegible]ne infirmati. Suppono adhuc vlcus occipitis deriuare tum à cerebro, tum à neruis affectis: & non modo capitis madorem deriuando siccare, sed (quod huius remedij pręcipuum est) fluentem materiam, quę sensim à capite ad neruos obstructos destillat, educere, atque in loco medio intercipere. Hæc num vera sint necne, sensus ipse demonstrat; oculati enim testes historiæ habentur. Remedij igitur satis superque fidem faciunt deriuationis natura, & vlcerum vis, si diutiùs fluere sinantur. Quapropter vsu ipso respondente absque vllo ægrorum in commodo in consuetudinem venere, certissimam illis opem ferentia. Neque ignobiles præterea authores habemus, quibus remedium istud cõprobetur: hos inter Rasis ponendus est, qui docuit in vniuersum inurendum esse in loco medio, per quem fluxus pergit ad locum aliquem, siue sursum, siue deorsum feratur materia. Aetius, atque Albucasis, & ex recentioribus nonnulli in lateris vnius paralysi occiput inurunt, Celsus item in phthisi curanda, quæ à destillatione fit, ad pulmonem manante, inurere sub mento, & in gutture non alia ratione suasit, quàm ad fluxum in loco medio intercipiendum antequàm peruadat locum affectum. Non deest Auicennas cui ratio ista curandi arrisit, qui tametsi non exulcerat, nihilominus sub occipite vertebras acrioribus medicamentis rubefacit, atq; idem fere prestat: locus non admodum discrepat, modus apud te magis suspectus esset: quæ enim ad cutim euocant, atque ex alto trahunt, ea minùs tuta fuerint, quàm exulcerantia, ex illis enim maior fit attractio, minor discussio, ac euacuatio: ex vlcere verò attractio minima, vacuatio in dies larga. Sed quoniam inustionẽ occipitis admittis in facta paralysi, negas in ea quę fit, eo quòd non cõueniat in fiente morbo vacuare ab affectis par

R tibus,

tibus, sed potiùs deriuare, atq; reuellere, cùm adhuc matèria fluat, quæ conuocanda non est ad locum affectum, dicimus locum affectum non vnicum, sed duplicem esse, cerebrum videlicet, quod laborat frigida, & humida intemperie, & materiã eiusmodi præbet, & nerui læsi, & infarcti eadem materia a cerebro delapsa. At[illegible]at occipitis deriuat ab vtraque parte, & quod maximè optandum est, intemperiem cerebri frigidã, & humidam cum materia sanat: vnde commodiùs subinde cõcoctrix facultas suo munere fungitur, quarè inustioni Hippocratis ad coxendicem, atque humerum adhibitæ æquipollet, quia in cerebro mucor adest, ac pituita, vt in articulis ipsis: discrepat tantùm, quatenus humor à cerebro per spinam ad neruos fertur: articuli autem seruant ipsimet succum crudum.

Cùm instas non licere in stupore, seu paralysi fiente, non autem facta, vacuationem moliri, quia cùm noua influat materia magis obcrimus attrahendo, quàm opitulabimur vacuãdo: idipsum à nobis negatur ex eo, quòd difficile sit neruorum resolutionem, seu stuporem reperire, quæ ab influxu humorum orta fuerint, quin contumaciam familiarem horum symptomatum retineant sedato decursu. Aetius dum occiput inurit, non postulat ante inustionem caput nihil tradere neruis. Profectò satius esset, quinimo vsu, ratione, & authoritate aliorum fas est, non finito fluxu, sed sedato impetu ipsius (presertim in remissione symptomatum iam confirmatorum) occiput inurere: quia scilicet in hoc casu exiguum tunc est, quod defluit, alijsque remedijs corpus vniuersum iam inanitum est, & deriuationes, atque reuulsiones aliæ expertæ, & prætentatæ: quare si qua (quæ profectò minima erit) attractio fiat, longè maius erit commodum ex euacuatione effatu digna, quàm incommodum ex suspecta attractione. Minimè enim necessarium puto persuadere, quam parum atthahat inustio, licet à candenti ferro facta sit, cùm tempus, quo ferrum cutim contingit, momentaneum sit, & impressio caloris, aut doloris plerunque nulla. Non negamus etiã paralysim istam diminutam esse, quæ potius stupor, & fiens paralysis est appellanda,

landa, quatenus ueremur ne grauius symptoma reuertatur, quatenus autem in dies mitescit, atque remittitur symptoma, desinentem potius paralysim, ac in stuporem abeuntem nominauerimus. Cæterum seu paralysis, seu stupor vocetur, eadem remedia in vtroque symptomate requiruntur: in paralysi per se: in stupore, quia metus est ne in eam, aut apoplexiam vertatur, vt consueuit; atque proinde præseruatio flagitatur.

Hæc in defensionem hirudinum nostrarum, atque vlceris occipitis attulimus, quæ tu fortassis non minùs quàm priora fastidies, cùm ad Hippocratem, aut Galenum, tanquam ad authores minimè referantur. Neuter enim ipsorum, quantum memoria repetere possum, hirudines vsurparunt, nisi ad cutaneos affectus curandos: cùm verò exploratum mox, atq; compertum fuerit, quòd venæ ab ipsis aliquando exhauriuntur, licebit ex placitis tam Hippocratis, quam Galeni asserere, hirudines ab alijs partibus reuellere, iecurque refrigerare, & intercipere fluxionem, loca vlcerãdo per quę transmittitur: tametsi, neque Hippocrati, nec Galeno fuerit ad prędicta familiare hoc genus remedij, Galenus enim vinculis canales cõstringi memorat, ne quid noxium ab vna parte ad aliam persuadat: aut astringentibus medicamentis robur addit membro recipienti, ne sua laxitate locum faciat illabenti humori, neue spiritus, aut calor innatus dissipetur: hoc quidam interceptionem vocauerunt. Noster tamen modus intercipiendi satis idoneos authores habet, ratione etiam, atq; experimento comprobante vsum ipsum iã innumeris ab hinc annis receptum, atque adhuc retentum.

ANTONIVS ALVAREZ NEREO NERIO MEDICO DOCTISSIMO. S. P. D.

Confutantur rationes Nerij asserentis, venæsectionem, & cauterium in occipite conuenire laborantibus stupore totius sinistri lateris à causa frigida oborto.

Epistola Qvarta.



Accepi tuas literas, quibus pro curando illustri Melchiore de Astudillo totius sinistri lateris stupore laborante à frigida causa oborto, adhuc tenaciter cõtendis optimum forè consilium; si vtatur vacuatione sanguinis per venas sedis, & fontanella excitata in occipite candenti ferro, vel caustico medicamento, qua parte caput vertebræ primæ committitur: quæ à me fuere improbata, non tam contradicendi animo, quàm subueniendi ægrotanti mihi familiaritate coniunctissimo, cui prædicta remedia non modò non prodesse, sed maximum nocumentum afferre posse existimauerim, & plurimis rationibus in epistola, quam elapsis diebus ad te conscripsi, cõprobauerim, quas nunc improbare contendis. Quod autem earum defensionem hucusque literis mãdare distulerim, in causa fuit continua febris, qua eo tempore eram correptus: cui scias iucundissimas, atq; gratissimas fuisse tuas literas, & spero fore vt nostra hæc disceptatio occasionem præstet veræ inter nos conflatę amicitiæ.

Concedis quidem, & si morbus magnus sit, dũmodo à causa frigida pendeat, venęsectionem è venis maioribus omnino vitandam esse: quare iam de hac re nulla inter nos erit controuersia. Cæterum eadem ratione argumentaris, si tot cruda extitissent, vbi venæ sedis turgent, non esse tutum ab eisdẽ sanguinem extrahere, vt permiseramus. Verùm si quæ diximus voluisti

luisti perpendere, inuenies me huius fuisse sententiæ, pro curã do prædicto frigido affectu nullatenus mittendum esse sanguinem non modò per cubiti venas, sed per eas etiam, quæ in sede sunt, ne pars calore, & sanguine destituta magis refrigeretur: frigidus enim affectus quà frigidus est, calore indiget, qui in sanguine consistit. Quod si permisimus vacuationẽ sanguinis per venas sedis eo tempore, quo fuerint tumefactæ, & melancholico sanguine infarctæ: id fecimus non gratia curandi frigidi affectus, sed duntaxat fœculenti sanguinis euacuandi, cùm prædictus ægrotans, melancholicis affectionibus conturbetur, quibus etiam prospiciendum: pręsertim quando natura atrum sanguinem ad pręd ictas venas expellit, quo infarciũtur & tumefiunt. Nõ igitur vt diximus respectu frigidi affectus sanguis mittendus est à quibusuis venis, cùm sanguinis missio refrigeret: Eamque ob causam Aetius in resolutione, sanguine etiam redundante, parcam iubet facere vacuationẽ, si enim eam pręcipit vt superans humor euacuetur, sanguis proculdubio superabit, nam reliqui humores à sanguine potiùs purgationem quàm venæsectionem postulant: & adhuc considerare consulit habitum corporis ægrotantis, tempus, studium, pręgressam victus rationem, & reliqua quæ prohibere solent sanguinis missionem.

Sed omissa vniuersaliori euacuatione per venęsectionem, ad magis particularem confugis, laudans eam quæ per venas sedis fit, præsertim quod malum per consensum à partibus infernis ortum duxerit, & ab illis nihilominus foueatur, licet iã cerebrum, & spinalis medulla laborent per essentiam: à subiectis enim sedibus ferri vaporem, & humorem, non simplicem, sed ex calidis & frigidis permistum asseris, eorum autem fontes iecur, & ventriculũ ministrare: vnde colligis, non esse abs re ratione partium per consensum lædentium, sanguinem detrahere per venas sedis. At si consideres frigidum affectum, & remedij genus, proculdubio intelliges sanguinis detractionẽ ex quibusuis partibus non cõuenire; si enim venæsectio ex magnis venis refrigerat, quomodo ex venis sedis nõ refrigerabit? præ-

præsertim si notatu digna fuerit vacuatio, quæ sequi solet post hirudinũ applicationẽ, adeò vt illis semotis sępe fluat sanguis ad unã, & plures libras, & ægrotantes uitam simul cũ sanguine fundant: quod si diminutè fluat, solũ hirudines trahent illum sanguinẽ, qui carni adiunctus est, nõ qui in imo corpore continetur, sicq; non euacuabunt partes eas, quę ad caput trãsmittunt vapores, aut superfluos humores. Neq; ratio, quã ex Galeno adducis, quidquã conuincere videtur, cui imponis, exẽplo Hippocratis Margei famulę sanguinem detrahentis ratum fecisse, licere in affectu frigido sanguinẽ mittere, & multo magis ex venis sedis, ex quarum uacuatione minus incõmodi uires, & calor innatus patiuntur. Sed iam Hippocratis verba perpendamus dicẽtis ex Margei famula ne sanguinem quidẽ prodijsse: nã vt filiolam hæc peperit, illico os vteri ad uertebras coxarũ detortum est, vnde dolor subsequutus est, qui cessauit ex uena prope talũ secta, quamuis tremores corpus iam occupassent. Hippocratis autẽ verba exponens Galenus inquit. Atqui nunc ad occasionẽ ipsam, eiusq; fomitem trãseundum est, Hippocrates siquidẽ te, & occasionem morbi, & generationẽ occasionis perpẽdere iubet, id quod tu mea quidẽ sententia multitudine sanguinis, pręsertim molestiã inferente, nõ de alio quo quã pręterquam de venesectione dictũ affirmare possis. Vides quomodo Galenus sanguinis multitudinem molestiam inferẽtẽ in Margei famula occasionem fuisse asserat sanguinis missionis factæ, ideoq; dixit Hippocratem præfatæ mulieri licet iam tremore correptę, venam secare non distulisse, cùm è diuerso nemo alter in tremoribus æquè atq; in hydropisi, alioue frigido affectũ vllo, sanguinem detrahere vnquam ausus fuisset: in talibus enim ex calidi humoris vacuatione, adhuc multo magis corpus necessariò refrigeratur, & innatus calor, qui per affectum antea quoq; refrigeratus fuerat, extinguitur. Non igitur quã frigidus affectus aderat, Hippocrates præfatę mulieri sanguinem misit, sed multitudinem sanguinis ante ipsum affectum considerauit fuisse accumulatam: Muliercula enim à purgamentis, quæ secundas dicimus, nõ fuerat expurgata; fomes autem

De curat. aduersus Eras. c. 5.

autẽ, ſeu nutrimentum occaſionis, hoc eſt, generatio, primaq; cauſa ob quã non ſit probè expurgata, eſt ipſa contorſio vteri, qui ad coxas cõtortus fuerat. Proinde cũ retentio, euacuationem, ſitus verò vteri, locum per quem euacuatio inſtituenda eſt, illi indicaret, venam talo proximam incidit. Sanguis igitur retentus in cauſa fuit venæſectionis in Margei famula, nõ frigidus affectus, vt ex Galeni mente retuliſti. Imo ſi totum Galeni contextum citato loco perlegiſſes, intellexiſſes naturam ipſam mulieres cunctas ſingulis menſibus euacuare ſanguine ſuperfluo foras effuſo. Muliebre enim genus, vt quod domi ageret, neq; vehementibus laboribus exerceretur, aut ſub claro ſole viueret, ac ob vtraque hæc, multitudinem humorum recoaceruaret, ipſam euacuationem plenitudinis, tanquam remedium naturale obtinere opus habebat. Et vnum quidẽ iſtud naturæ opus eſt: alterũ verò purgatio poſt partum contingens vexiſtit. At ſi iam cognouiſti quot commoda ex huiuſmodi vacuationibus muliebre genus conſequatur, quotq; nocumenta eiſdem ſuppreſſis eueniant, haud video quo minùs de venę ſectione famulæ Margei, quæ ſecundis non fuerat expurgata, quiſpiam dubitare poſſet. Sed poſt habitis mulieribus, vt Galenus refert, te ad mares iã confer, vt diſcas ſcilicet, quod quibuſcunq; pro conſuetudine ſuperflua per hæmorrhoides euacuantur, hi omnes vitam morbis minimè impeditã agunt: quibus itẽ inanitiones ſupprimuntur, hi in pernicioſiſſima queq; labuntur, tuncq; ſanguinis ſuppreſſio venæſectionẽ poſtulat: at ęgrotans de quo ſermo ſit ſuperflua ex conſuetudine per hęmorrhoides non ſolet vacuare, ex quorũ retentione in ſtuporẽ ſiniſtri lateris inciderit. Sed videamus an celebre adeò remedij genus à te propoſitũ, pręſtare poſſit, quas proponis, vtilitates cerebro per conſenſum laborãti, nam eidem, quatenus per propriã paſſionem affectũ eſt, nihil proderit. Partes enim quę per conſenſum mittunt vapores, atque humores ad ſuperiora, non ſimplices, ſed permiſtos, ventriculus, atque iecur ſunt. Vẽtriculus igitur imbecillis cùm ſit crudos procreabit humores: aut præter naturali calore affectus ex corruptis edulijs

Citato locò de cur. rat. aduerſ. Eraſ. c. 5. ad finẽ.

porraceam generabit bilim: at in vtroq; affectu potiùs conuenit vomitio, aut medicamentum ex Aloe, quàm venęsectio ex quibusuis venis, pręsertim ex ijs quæ sedis sunt. At si iecur laboret, non erit quidem inflammatione, quoniam subsequuta fuisset febris, quam in frigida affectione desideramus, vt suo calore membra refrigerata foueat, frigidosq; humores morbũ concitantes calefaciat. Laborabit igitur imbecillitate virtutis concoquentis, vnde fiet vt crudorum humorum copia redundet, à quibus vapor caput replens sursum feretur. Huiusmodi autem iecoris imbecillitatem, & crudorum humorum vapores venęsectio non tollit, sed medicamentis potiùs citra molestiam euacuantibus, & partem corroborantibus vti oportet. Præterea, quæ quæso est venarum sedis cum iecore, aut ventriculo adeò manifesta communio? licet enim omniũ nostri corporis partium communio vna, & conspiratio vna sit, tamẽ directam, & manifestam communionem venarum sedis cũ ventriculo, aut hepate non inuenies. Propagines enim venę portæ lienem petentes eò à natura conditæ fuere, vt simul lieni alimentum deferant, atq; ex iecore fæculentum sanguinem, seu melancholicum succum in ipsum expurgent: lien enim atrum illud sanguificationis recremẽtum in sui nutritionem cõficit, quod postea per venas ab illis, quæ lieni inseruntur in ventriculum profusas, quod ipsi ex fæculentiori sanguine reliquum est, neq; sibi concoquere, adaptareue valet, partim in vẽtriculum eructat, partim verò in sedem per venęportę ramum sub coli intestini fine, & tota recti longitudine, in mesenterio ductum, & per hemorrhoides sanguine crassiori, lutosoque turgentes: venæ autem hę nimium oppletę, quum iam sensim sanguinem illum admiserint, apertis ipsarum oris eructare cernũtur ordinatis vicibus, quemadmodum mulieres suis mensibus statutis ex vteri repletis venis sanguinem paulatim coaceruatum, quo turgent, singulis mensibus apertis ipsarum osculis emittere solent. Cùm igitur melancholicus succus ab hepate in lienem deponatur, & is aliquando per sedis venas statutis temporibus (vt diximus) euacuetur, proculdubio harum venarum

rum communio proximior, & magis directa cum liene, quàm cũ ventriculo, aut iecore deprehenderur, & per proprios canales melancholico humori dicatos eiusdẽ humoris tractio fiet. Neq; ea vacuatio sanguinis, quę per venas sedis fit, tãta esse potest, aut debet, vt hepar, & ventriculum possit inanire: si.n. tanta sanguinis copia fuerit profusa, nihil mirũ quòd successione eius quod euacuatur, non modo iecur, & ventriculũ, sed & cerebrum ipsum possit attingere, & hominem aut vltramodũ refrigerare, aut in interitum ducere: prætequam quod sunt alię venę in dextro brachio, quę maiorem cum hepate, & ventriculo habent communionem, & magis directam, quàm venę sedis à te proposite, quę incidi possent si opus esset venęsectione.

Venæ sedis maiorem habēt communionem cum liene, quam cum iecore, aut uētriculo.

Quod verò affirmas ex Vesalio, hęmorrhoides quasdam ex venę cauę ramulo obortas esse, tantùm abest ab ipsius sentẽtia, vt contrarium omnino asseruerit: nam indagaturus num sanguis crassus, qui per venas sedis fluit, per portę ramos, aut cauæ in easdem venas deduceretur, nigrum arquatũ qui iecoris mira duritie perijt cùm disecaret, quem antea nouerat ordinatis vicibus, vt mulieres suis mensibus ex venis in sedem pertinentibus sanguinis crassioris fluxu vexari, inuenit venæ portæ ramum sanguine illo crassiori, lutosoq; turgentẽ, & à liene per dictum vas in sedis venas depulsum, cauæ venę ramis huc pertinentibus nihil prorsus immutatis, adeò vt se stupidum iudicaret si posthac ambigeret, num ex portæ ramis, an cauę, melãcholicus sanguis ex sede permanaret. Imponis igitur Vesalio hęmorrhoides quasdã ex venæ cauę ramo obortas esse: quinimo historia nigri arquati, qui iecoris uitio perijt, manifestè monstrat quanta sit communio venarum sedis cum iecore, quãdo ex tanta crassi humoris per dictas venas euacuatione, & toties iterata, non modo nõ fuit leuatus, sed in vltimam perniciem deductus. Tuas rationes de cauterio applicãdo occipiti repetere destitissem, cùm satis, superq; illis altera epistola satisfecerim, nisi ad tuẽdam tuam sententiã duo supposuisses, quę à vera medicina deuiare mihi videntur: vnũ est, vlcus occipitis deriuare materiam morbificam tum à cerebro, tum à neruis affe

Li. 3. de fab. corp. hum. cap. 5.

Melancholicus sanguis fluens ex sede, prouenit à venæ portæ ramis, nõ autem à vena caua.

ctis in stupore totius lateris: alterum verò, fluentem materiã, quæ sensim à capite ad neruos obstructos destillat, in loco medio intercipere. Si n. in stupore prædicto postica cerebri pars, & spinalis medulla ab ea propagata laborant, cauterium applicitum concauo occipitij, qua parte incipit spinalis medullę origo, supra laborantes partes applicabitur. Non igitur materiã morbum facientem deriuare, seu diuertere valebit, quinimo in affectas partes maiorem fluxionem humorum tractione cõcitabit. Et admiror maximè quòd intelligens deriuationẽ per aliquam vicinarum partium fieri, nihilq; aliud esse deriuare, quàm à riuis ad latera diuertere, huius rei immemor dicas deriuationem fieri per particulas, quę fluxionem suscipiunt, quales sunt posterior cerebri regio, & exortus spinalis medullæ, quas inurendas esse censes deriuationis humorum causa. Alterum quod præcipuum in hoc remedij genere existimas, nẽpè fluentem materiam, quæ sensim à capite ad neruos obstructos destillat, in loco medio intercipere, apud me non modò suspectum est, verùm à rei veritate valde alienum. Nam qui quæso fieri potest vt cauterium, quod superficiale, & parum penetrãs vlcus constituit, fluentem humorem à cerebro per spinalẽ medullam intercipiat? præsertim cùm cutim, & carnosam membranam solùm attingat; nam si penitius progrediatur, vt sępe ab imperitis medicis fieri solet, pars resoluta cũ maximo egrotantium incommodo inflãmatione afficitur. Non igitur fluentem humorem intercipiet, cùm spinalem medullam illo infarctam non attingat, aut scindat, quæ sub prima vertebra dicato sibi magno foramine continetur, & ad quam interna parte humores fluunt sinistram ipsius partem, & neruos ab ea exortos quodam modo obstruentes tali quantitate, vt stuporem eiusdem lateris, non autem paralysim valeant concitare. Quãuis enim vterq; morbus sub eodem genere cõtineatur, magnitudine differunt: cùm enim incipit affectio, stupor fit, postquàm verò consummata fuerit, paralysis, seu resolutio generatur. Vnde Galenus mediam quãdam dispositionem stuporem esse dixit inter resolutionem, & integram valetudinem. Qua

Deriuatio non fit per particulas quæ fluxionem suscipiunt.

Cauterium in occipite non intercipit humorẽ fluentem à cerebro in spinalem medullam.

Stupor et paralysis magnitudine differunt. 2. de loc. patient. cap. 1.

igitur

igitur ratione vlcus cauterio concitatũ, quod non modò non attingit spinalem medullam, verùm ab ea maximè distat, humores per illam fluentes poterit intercipere? riui enim fluxus intercipitur, quando canalis per quem fluit scinditur, quod si scissio illum non attingit, fluxus non desistit, neque vlla illius fit interceptio. Ex duobus igitur à te suppositis cùm vera non sint, nihil mirum quòd falsò concludas cauterium supra læsam partem applicitum deriuare, & concitatum vlcus, quod non attingit spinalem medullam, humores per illam fluentes intercipere. Quòd si authorum mentes, quos in comprobationem tuæ sententiæ adducis, perpendisses, ab eisdem prædictum remedium diuertendi gratia supra læsas partes appositum comprobari non dixisses, inter quos Rasium connumeras, qui docuit vstionem faciendam in loco medio, per quem fluxus pergit ad locum aliquem lęsum, siue sursum, siue deorsum feratur materia. Quod nostrę fauet sententiæ, hac enim ratione fit humoris deriuatio facto vlcere in sanis partibus, & loco affecto propinquis, non in eadem parte lęsa. Aetius, atq; Albucasis, & aliqui è recẽtioribus in lateris vnius paralysi occiput inurũt cùm morbus iam confirmatus est, non intendẽtes tunc diuersionem, sed humoris iam fluxi in affectas partes resolutionem, & euacuationem. Cùm verò stupor dimidij corporis paralysis (vt diximus) non sit, sed media quædam dispositio inter paralysim, & integram valetudinem, interim dum tendit in resolutionem, semper humores sunt in fluxu, qui diuersionẽ potiùs postulant per partes locis læsionem patientibus propinquas. Neque enim ex eo quòd confirmatæ paralysis ratione iubeat Aetius facere vstionem in occipite supra læsam partem, bene colligis ex eiusdem sententia in stupore, qui medietate itineris distat à resolutione, supra læsam partem eandem vstionem efficiendam, sed satis fuerit leuioribus auxilijs affectas partes corroborantibus, & earundem iam fluxos humores dissipantibus, & per halitum resoluentibus auxiliari. Et interim dum humores adhuc fluunt, & timor est ne partes affectæ in resolutionem tendant, proderit maximè cauteriũ circa propinquas,

Lib. de cauterijs.

& sanas partes, vt quotidiana euacuatione per fontanellã con citata, fiat humorum ex læsis partibus, quæ intenditur, diuer sio. Quæ adducis ex celsi mente, qui in phthisi curanda, quę à destillatione capitis in pulmonẽ fit, cauteria cõsuluit sub men to, & in gutture, non alia ratione, quàm ad fluxum in loco me dio intercipiendum, antequam peruadat affectum locum, po tiùs comprobant nostram sententiam, quàm vt ei aliqua ratio ne refragari videantur, cùm eo modo fiat humorum deriuatio per partes sanas affecto loco propinquas. Et Auicennas si occi put, & primas colli vertebras acrioribus medicamentis rubefa cit ijs, qui paralysi laborant, id facit nõ diuertendi fluxus gra tia, sed potiùs euacuandi, & per halitum digerẽdi fluxum iam humorẽ, & in summa, vt lęsam partẽ corroboret, & suo calore foueat, atq; calefaciat, ad eamq; spiritus inducat: cuius rei gra tia admisimus, & adhuc admittimus in confirmata iam paraly si, & cauteria, & sinapismos supra læsas partes. At cùm in egro tante, de quo sermo fit, duplicem constituas affectum locum, cerebrũ videlicet, & neruos, ita vt affectus occupet continua tim dictas partes, nihil erit medium inter cerebrũ, & lęsos ner uos ab spinalis medullæ sinistra parte exortos, quòd sanũ per sistat, & incolume eadẽ parte, lęsus igitur locus etiam erit prin cipium spinalis medullę à cerebro exortum, & sub occipite, & prima colli vertebra cõtentum, à cuius medullæ sinistra parte nerui lęsi originem trahunt. Quarè cauterium supra occiput, & primas vertebras, cùm super lęsas partes fiat, non deriuabit fluẽtes humores, sed attrahet potiùs, cùm deriuatio per sanas, & propinquas partes fieri debeat. Quòd si deriuationis natu ram, & finitionẽ perpendisses, eam per affectas partes fieri nõ dixisses. Et magis admiror, quòd vstionem, quam Hippocrates pręcipit supra coxendicem, aut humerum, differre ab ea credi deris, quę supra occiput, & primam colli vertebram fit in labo rantibus paralysi, seu stupore dimidij corporis, existimãs in ta libus cerebrũ, & neruos affectos esse mucore, ac pituita, vt in articulorum affectionibus contingit, qui eosdem humores ser uant, spinalem verò medullam solùm deferre prædictos humo

res

res à cerebro in neruos, illosq; non seruare. Quod idem est, ac si dicas affectas partes esse cerebrum, & neruos, spinalem autẽ medullam, per quam transeunt prædicti humores illęsam esse, ideoq; super ipsam cauterium applicatum, tanquam super sanam partem, & beneualentem, ac affectis partibus propinquã, deriuare à superioribus, ac inferioribus. Quod quantum deuiet à rei veritate norunt omnes, qui perceperunt spinalis medullæ substantiam, atq; naturam non differre ab ea, quæ in cerebro est, & in neruis consideratur, cùm orta attestentur suis principijs, & spinalis medulla oriatur à cerebro, illiq; cõtinuetur, & nerui ab spinali medulla, & substantiæ modus idem sit, eademq; aptitudo in omnibus reperiatur ad suscipiendos, cõtinendosq; crassos, ac lẽtos humores. Vnde fit, vt cùm propter animalis facultatis priuationem (quæ à cerebro, tanquã à primo principio medijs neruis, ac per spinalem medullam, & neruos ab ipsa exortos, tanquam per semitas ad sensus, & motus instrumenta defertur) resolutio generatur, non in merito cerebrũ ipsum, aut spinalis medulla, seu particulares nerui quidam à cerebro, vel spinali medulla exorti, aut deniq; ipsamet instrumenta in qualibet resolutione afficiantur. Si resolutio in instrumentis contingat, nihil mirum quòd nerui duntaxat illis motũ, & sensum deferentes obstructione ex lentis, ac crassis humoribus laborent, cerebro, & spinali medulla cũ reliquis neruis ab eis propagatis nullam obstructionẽ patientibus, aut aliàm quamuis affectionem, quę sit in causa, quominus sensus, & motus ad alias partes trãsferatur. At si spinalis medulla adeò læsa fuerit, vt viæ intercludãtur omnes, per quas ad neruos ex ea ortos vis sentiẽdi, & mouendi transmittitur, vniuersum corpus infra caput resolutione afficietur: si verò spinalis medullæ dextra pars adeò fuerit obstructa, vt animalis facultas in eiusdẽ partis neruos transire non possit, dextri lateris resolutio cõtinget: quemadmodũ & sinistri paralysis erit, si sinistra obstructionẽ patiatur, aut aliquo alio modo intercludatur. At si cerębrũ affectum sit, non tñ secundùm se totum (quia apoplexia generaretur) sed secundùm partem dextram, vel sinistram, inde cogno-

Spinalis medullæ, & cerebri eadem est substãtia.

cognosces, quòd simul cum dextra parte corporis, vel sinistra, faciei quoque partes dextrę, vel sinistræ resoluuntur, cerebro, & spinali medulla per cerebri consensum ea in parte læsionem patientibus. At si accidat quandam duntaxat determinatam partem resolutam esse, inuestigandum est vnde neruos suscipiat: quod facilè cognosces, si in re anatomica fueris exercitatus: quemadmodum si spinalis medulla nō secundùm eius initium, sed iuxta alias inferiores partes, atque vertebras læditur, statim intelliges suppositas partes oblæsas esse: si ingēs fuerit affectio, omnes: si exigua, & secundùm partem, illas tantū læsas esse percipies, quæ è directo suppositæ sunt. Quemadmodum autem id sit dignoscendum, passim inuenies apud Galenum, & ex eius doctrina intelliges fieri nō posse, vt cerebri dextra pars, & nerui à dextra spinalis medullæ parte propagati affectionem patiantur in resolutione dextræ corporis medietatis, quin simul, & spinalis medullę dextra pars, à qua dicti nerui trahunt originem, laboret, & per quam ad eosdem sentiendi, ac mouendi virtus defertur. Quinimo fieri potest, ut propter principij spinalis medullæ obstructionem, quæ uiam animalis facultatis intercludit, nerui, & inferiores partes sensu, & motu priuentur, ipsis tamen nullam particularem affectionem patientibus: quemadmodum oculi benè habentes uisione priuantur propter neruorum opticorum obstructionem, quæ intercludit viam, per quam visorius spiritus transmitti solebat: sicque oculi in amissione visus, & nerui, in perditione sensus, & motus, ex eo dicuntur laborare, quòd non transmittitur id, quod secundùm naturæ legem transmitti debebat.

1. de causis sympt. c. 5. & 3. de loc. affec. c. 10.

Quamobrem si in stupore totius lateris sinistri duplicem assignas affectum locum, cerebri nempè sinistram partem, & neruos eiusdem lateris, locum primario affectum cerebri sinistrā partem esse dices, quæ quodam modo obstructa est: neruos verò eiusdem lateris secundariò affici necessariò concedes, aut quia ad eos non peruenit ea animalis facultas, quæ secundùm naturam peruenire solebat, aut quia (vt dicis) lęsi, & infarcti sunt eadem materia crassa, atq; lenta, qua cerebrum ipsum af-

fectum

fectum est, quæ ab ipso per spinam ad neruos fertur. At vtroq; modo spinalem medullam affici necesse est, priusquàm nerui ab ea propagati afficiantur: vel quia ad illam non transmittitur à cerebro ea sentiendi, ac mouendi facultas, quæ secũdùm naturam transmitti debebat, vel quia secundùm sinistram eius partem repletur ea pituitosi humoris portione à cerebro delapsa, quæ sufficiẽs sit taliter sinistras vias animalis facultatis delatorias obstruere, vt stupor per vniuersum latus sinistrum sentiatur. Quarè sicut duplicem affectum locum assignas, vt triplicem constituas necesse erit. Qua enim ratione fieri poterit, vt cerebrum laboret frigidis, ac crassis humoribus, & similiter nerui ab spina producti infarcti eadem materia à cerebro delapsa, & spinalis medulla per quam transeunt prædicti humores illis non infarciatur, neque eius viæ intercludantur? An differens est eius substantia ab ea, quę in neruis ex ea propagatis cõsideratur? aut minorem habet aptitudinẽ ad recipiendos, continendosq; crassos, ac lentos humores, quàm nerui ab ea exorti? Nemo sanè vel mediocriter in anatome exercitatus id proferet. Cùm igitur affectus locus etiam sit spinalis medullæ initium, nemo, qui intelligat quæ sit deriuandi ratio, suadebit in occipite supra primam vertebram, in qua spinalis medullæ initium continetur, ignitum ferrum, aut causticũ medicamentum esse applicandum, fontanellamq; formandã: id enim contradicit deriuationis naturæ, quæ per sanas partes affectis locis propinquas, non autem per læsas fit. Et hoc modo in stupore deriuando fluentes à cerebro humores, præcauemus ne in paralysim, aut apoplexiam vertatur. Non. n. eadem remedia in stupore (cum mitior sit affectus) desiderantur, quæ in paralysi, metienda enim sunt pro ratione magnitudinis morbi, aliaq; methodo factus iam morbus, alia verò fiens curari debet. Hæc dicta sufficiant pro rationum nostrarũ defensione, quibus tuæ epistolæ responsum fuisse existimo, ac verè monstratam sententiam nostram, cui subscribere debet is, qui seuerum Hippocratis, & Galeni sectatorem profitetur. Vale.

ANTONIVS ALVAREZ

ILLVSTRI VIRO PETRO TVRRIO BVRGENSIS CIVITATIS SENATORI DIGNISSIMO plurimam exoptat salutem, ac fælicitatem.

CONSILIVM SECVNDVM

De Podagræ præseruatione, atque curatione.



TAMETSI mei in te amoris, & tuæ erga me beniuolentiæ summa studia sic tibi, ac cæteris omnibus sint explorata, vt apertiori testimonio non indigeant, volui tamen, vt clariori splendore luceant, leuatus aliquantisper varijs, & corporis, & animi molestijs, saluti tuæ consulturus calamo manũ admouere, ac remedia summatim, victusq; rationem conscribere, quibus articulari morbo, ingentibusq; dolorum cruciatibus possis præmuniri. Et quanquam prosperã incolumitatẽ non ausim tibi polliceri, quòd vis huius ægritudinis ad intima penetrans difficulter, ęgreq; diuellatur, permulcendi tamen doloris refrigeria hinc inde per doctissimos authores dispersa collegi accuratè, quæ dolenti opem ferant, & mei semper in te amoris testimonium pręstent. Has ergo nostras lucubrationes accipe, euolue, ac perlege, quas saluti tuæ consulturus sollicitè conscripsi, existimaq; tãtam in me regnare gratitudinem, ut ne uerbis quidem, sed opere (vbi respostulet) gratissimum me fore certò cognoscas.

Affectiones internarum partium cùm in imo corpore latitent, difficilè cognoscuntur, ideoq; exercitatum ratione virũ, ac natura prudentem desiderant: quæ verò externas partes occupãt cùm sensui subijciantur, haud ęgre percipi possunt, pręsertim si articulos obsederint: est autem articulus naturalis ossium structura, siue cohærentia. Cum igitur fluxio humoris per omnes æqualiter articulos dispergitur, aut plurimos inuadit

Gal. lib. de ossi. authore in initio.

dit, articularem morbum generat, ortum habentem ex eorundem articulorum imbecillitate, ac humorum influxu: quando verò ad inferiores partes fluxio facta est, ita vt pedis articulos repleat, tale vitium podagra nominatur, quod plerunque incipit ex vno pedis articulo, & paulatim ad genua procedit, progrediturq; in alios temporis diuturnitate. Quod autem malũ omnibus, aut plurimis articulis accidit, arthritis, vel articularis morbus est: hoc in vno, si iuxta coxendicem, schiaticum, si in manibus, chiragram, si verò in pedibus, podagram (vt diximus) nominare consueuimus. Qui omnes morbi genere idẽ sunt, affectis duntaxat locis differentibus, eadẽq; in omnibus est doloris ratio, qui sequitur tum ad inęqualem intemperiem ipsius articulationis, & partium circuniacentium, tum etiam, & præcipuè ad earundem extensionem, seu continuî solutionem. Hæc est igitur in genere articularis morbi essẽtia, de qua in particulari (quantùm ad te attinet) sermo fiet.

Articularis morb⁹ quis sit.

Podagra.

Schiaticus morbus.

Chiragra.

Vexaris igitur vir egregie articulari morbo, maximeq; podagra è sanguine pituitæ naturam participãte, qui per angustos iũcturarum sinus, flauæ bilis stimulo, celerrimè penetrat, & neruos distendens ingentes dolores, ac cruciatus, maximasq; partium inflammationes concitat, & ab excrementorum cõgerie partes aliquas, pręsertim genua, ita labefactat, vt crurum motus vix proferre possis. Is itaq; morbus cùm vetustate, inueterataq; consuetudine radicitùs euelli non possit, leniendus, demulcendusq; est, dandaque opera vt ope nostra auxilijs propositis, & si non aboleri, saltim leuari possit. Primùm omnium id dicam, cùm annum agas quadragesimum quintũ, placidoque, ac miti ingenio sis, iracundiæ minimè tenax, facili cogitato cuncta maturans, nõ obęsus, non gracilis, verùm solida carne ad pinguedinem propensa compactus, sub rubentibus in albore membris, perpetuaq; vultus hilaritate cum grauitate serenus conspiceris: ijs omnibus indicijs, aliorumque multorum accessione, te calidę, & humidæ esse tẽperaturæ subaquosi sanguinis dominationi obnoxiæ iudicarem: cuius cognitio plurimum facit, tum ad victus rationem constituendam, tum

etiam ad conuenientia remedia venanda.

Cùm igitur sanitatis conseruandæ, ac recuperandę, primas sibi partes vendicauerit viuendi ratio, ab ipsa in primis auspicabor. Quę talis esse debet, vt vno, aut altero obsonij genere contentus, & eodem tenuissimè premanso, adijciales mẽsas fugias: non ieiunium, sed abstinentia prodest, neq; inedia, neque crapula commendatur. Expetitis dapibus, potuque nunquam explearis. Cibus continenter nullo interuallo sumendus est, dimidiabit esum congrua potio candenti ferro sępius indito concinnata. A vino prorsus abstinere oportet, aut si vẽtriculus exposcit, rubro tenui, quàm crasso potiùs vtendum, eadem aqua valde diluto: reprobatur album ob faciliorem in membra transitum. Ad hęc, quęcunque pituitam vbertim gignunt edulia cauebis, quęq; viribus, actuue gelida sunt, ingẽs enim frigiditas iuncturas, & artus discruciat. Quęcunque prę terea corpus inflammant, vitanda, vt aromata, vinum potens cuiuscunque generis, maximè flauum, aut album. Porrum itẽ, cępam, allium, nasturtium, raphanum, & id genus effugies: betam similiter, cucurbitam, lactucam, cucumerem, eo quòd aquosum gignunt sanguinem. Atque simili causa vniuersis penè nucibus, & pomis abstinuisse expedit: quanquam malum cydonium, pomorum, pyrorumq; meliora genera, vbi oppor tuno igne assentur, secunda mensa gratissima sint, & liberè cõ cedi possint. Mala aurantia, mala item punica moderato vsu haud noxia sunt. Adde aridas ficus, atque vuas concedi, quibus virentibus interdictum est. Reprobamus etiam quæ lotiũ mouent, nempè fęniculum, apium, petrosilinum, ciminum, anisum, pastinacam, asparagum, brassicam, cicer, phaseolum, & id genus reliqua, atque eorum ius cula, & decocta: quoniã hreseratis meatibus sua ui præcipites in iuncturarum rimas humores propellunt, contra, astringentia, & nonnihil refrigegerantia nutrimenta opitulantur: qualia milium, panicum, oriza, lens, & herba acetosa. Inimicus est caseus omnis, maximeque vetustus. Quæ facile concoquuntur alimenta laudantur, sicut gallinacea oua recenter nata, quæ facili coctio-

ne tre-

Viuendi ratio.

ne tremula, sorbiliaue sunt: hęc etiam omphacij conditura, & butyro exiguo concinnata non nocent, acidi enim, stiptici que liquores opportunè subueniunt, quales malorum citrangulorum, punicorum, cydoniorum, agrestæ, & limonũ, quibus fercula, dapes, obsonia, æstiuo præsertim tempore, ad temperasse prodest. Acetum iuncturis obest, neruos enim exulcerat, atque distorquet, vnde ipsius cauendi præcipua cura sit. Obest pisciũ pene genus omne demptis saxatilibus, & molli carne præditis: crassioris etiam, & viscidæ carnis alimentum, vt suillæ, ac bubulæ, quòd crassum, uiscidum, & concoctu difficile sit: hædulinæ, ac gallinaceæ commendantur, & siluestrium quadrupedum capreoli, lepores, atque iuniores cuniculi. In uolucrum genere cõfert maximè perdix, phasianus, turtur. Montium item aues his, quæ in planitie degunt, incolumiores. Aquaticæ contra, infestæ sunt omnes: semper enim ficciores humidioribus præferuntur, velut assata elixis. Panis ex tritico, congruo feruento recenter confectus, ac probè coctus, conueniens est, opportuno sale adiecto: qui enim nimius est, inflammat, deficcatq; intemperanter. Cænæ interdicere expedit, nisi velis fructu aliquo saccharo condito, & moderata potione corpus reficere: quòd si lautiorem cęnam aliquãdo assumpseris, mane euomere curabis, aut clysteris beneficio ventrem mouebis. Veneris vsus quantum fieri possit vitandus. *Venus.* Immodicę etiam animi affectiones, quales sunt mærores, tristitiæ, sollicitudines, atq; curæ, quoniam vires corporis eneruant, maximè vitandæ. *Animi perturbationes* Somnus septẽ horis absoluendus, noctuq; pręcipuè, cùm interdiu dormire nocuũ fit: & vna, aut duabus horis ab assumpta cœna esto peruigil, nõ enim statim post assumptum cibum somnus cõducibilis est. *Somnus.* Moderatum pedum exercitiũ confert, immoderatum nocet, præsertim si lõgum sit iter, & viarum asperitas, vel soli, per quod fit gressus, inæqualitas: quamobrẽ calceamentorũ quoq; rationẽ habere expedit, ne pedes arctiùs vrgendo pręmãt. *Exercitium* Ad hęc, frigidiores regiones fugiendę. *Aer frigid. vitandus.* Ieiunus pręterea exerceberis, & eques potiùs, quã pedes, tuncq; potissimùm, cùm aduentare malũ non reformides,

 tempo-

tempore enim accessionis exercitium vitandum est. Neque fricare pedes, aut abluere quouis tempore salutiferum existimo, nisi velis lutum, & excrementorum crassitiem detergere, decocto rosarum, absinthij, balaustiarum, myrthi, nucum cupressi, corticum malorum punicorum, cisti, & salis, quo leuiter pedes lauandi sunt, & plantarum sordes cultello radendę. Scapulas item, humeros, & totum superius corpus exercere, ac moderatè perfricare, vbi malum membra istæc non occupat, conducibile est. Aer siccus deligendus; quamobrem iuxta paludes, lacus, stagna, & humentia loca vitam agere, periculosum est: neque in ima domo, sed superioribus eius partibus habitandum. Humentes lunæ radios, & caligātem nebulam vitare oportet, laxant enim iuncturas, & ob id in illas faciliùs confluunt excrementa, his igitur, quæ ad debitam victus rationem attinent sic propositis, proximum est de remedijs, quæ morbi accessionem præcauere possint, verba facere.

Sanguinis missio. Aduentante vere priusquàm mali fiat accessio, sanguinē mittere expedit ad vncias sex incisa in dextro brachio vena basilica, (pridie tamen communi clystere aluo soluta) quam iterare in sinistro brachio licebit, nisi virium adsit imbecillitas. Nam, & si huiusmodi fluxionibus circa articulos sæpiùs fueris tentatus, & ideo timor sit plus noxæ, quàm auxilij ex sanguinis detractione prouenire posse, tamen mittendum esse cōsulerem, ob eam, quam ipsius sanguinis ex propria natura gignis copiā, non solùm vacuationis, sed etiam præseruationis gratia. A venæsectione purgationem moliri expedit: verùm ante purgan-*Præparatio* tium medicamentorum exhibitionem ea tribuenda sunt, quæ vim habeant attenuandi, nam sic præparati succi ad purgationem magis idonei redduntur: præparabuntur autem si per aliquot dies vncias tres syrupi è succo rosarum, atque granatorū, cum totidem vncijs decocti cinamomi, anisi, & florum cordialium dilutas assumas quolibet mane. Quibus iam præparatis, *Purgatio.* purgans medicamentum præbeatur ex decocto trium dracmarum myrobalanorum chebulorum, & duarum rhabarbari, & agarici præparati, in quo, per colū transfuso, dissoluātur vncię

tres

tres syrupi ex pluribus infusionibus rosarum persicarũ cum semuncia diacarthami. Intermisso aliquo tẽpore, venter (vbi res postulet) molliẽdus est decocto drachmarum duarum corticũ myrobalanorum chebulorũ, in quo vnciæ tres syrupi ex pluribus infusionibus rosarum rubearum sint dissolutæ: hæc autẽ non bis, aut ter, sed sæpiùs repetenda sunt, vbi vsus vrgeat.

Cæterum cùm non solùm præsentem salutem pręseruare, & à morbo pręcauere, sed amissam restituere curemus, hoc in primis commendo, vt primo statim doloris aduentu tenuissimo victu vtaris, veluti est amyli, aut farinæ hordei pulticula, vel milij, seu panici sorbitiuncula: quæ enim maioris sunt nutrimenti, & sanguinem abundè generant, abijcienda. Fluxionis præterea ratio habenda est, & quantum fieri possit reprimenda: quod fiet misso sanguine è directo partis dolentis, exhibitisq; remedijs aluum soluentibus, & postea applicitis repercutientibus, non enim licet repellere humores, nisi priùs corpus euacuetur: repellimus autem frigidis, & astringentibus, vt occlusis meatibus difficiliùs humores confluant. Expedit enim affectas partes à principio vsque ad vigorem refrigerare, & corroborare, atque mitiores reddere, ne propter immodicum ardorem, atque dolorem magis fluxionibus tententur. Ad hoc autem præstantissimum est rosaceum oleum, si ouorum lutea ei admisceas, vini etiam, aut aceti momento addito ex Alexandri, & Pauli testimonio. Herbæ etiam admoueantur, quæ infrigidandi, atque astringendi vim habeant, præsertim virides, velut sunt, semperuiuum, lactuca, solanum, portulaca, seris, polygonum, rosarum folia, rumex acutus, atriplex, plãtago, vmbilicus veneris, violarum flores, & reliqua eiusmodi: hæc enim dolores, qui in accessionibus fiunt, abunde lenire possunt, adhuc etiã magis, si paucæ farinæ hordaceæ vnum de prædictis, aut duo admisceantur: & ne siccescat medicamẽtum vtile erit etiam rosaceum oleum cataplasmati adijcere, quod frigidum admoueatur, muteturque crebriùs. Vel mica panis posca imbuta adhibeatur, aut hordeacea farina cum rosaceo accommodetur. At si semen psilij in aqua feruenti maceretur, & diligenter

Curatio morbi præsentis.

Repellẽtia.

ter subigatur, viscosumq; fiat, & hordaceę farinę permisceatur, mirum in modũ dolores mitigat, & ardores, ac feruores dolorum extinguit, partesq; affectas ad bonam perducit temperiẽ testimonio Alexandri, Aetij, & Pauli, quorum etiam est sentẽtia, vbi magnus adeò dolor vrgeat, vt ęgrotãtes ferre nequeãt, his quę torporem inducant remedijs esse vtẽdum, qualia sunt cicuta, papauer, hyoscyamus, seu mãdragorę folia, vel eadem folia contusa, ac lęuigata, cum ouorum luteis, ac rosaceo permista. Est etiam optimum Pauli medicamentum, quod recipit micam panis posca maceratam, cum succo semperuiui, portulacę, ac solani, & palmularum carne, ac papaueris semine pari portione, adiectis ouorum tostorum luteis, atq; rosaceo, quo dolentes partes delinendæ sunt: si verò dolor vehementiùs affligat, opium, & crocum pari portione cũ lacte trita, & cerato rosaceo excepta, linteoloq; infarcta imponenda: hoc tñ cum pręmeditatione faciendum, liberaliorq; horum medicamẽtorum vsus cauendus, neq; diutiùs eisdem insistendum, quàm vt intensioris doloris vehementiam duntaxat leniant: quo tẽpore ea quoq; quę somnum conciliant, exhibenda, veluti lactuca & papaueris semen cùm lacte amigdalino, seu syrupus de papauere. Hæc inter initia infestantibus doloribus molienda sunt, deinde verò omissis astringentibus, discutientibus magis, atq; exsiccantibus vtendũ. Apta autem, erunt vbi mediocris dolor adfuerit, cupressi folia, & nuces, vino cocta simul cum cyperi radicibus, & rhamni folijs, admistis adipe suillo recenti, oleo rosaceo, & modica cera, quibus, commodè addi possunt brassicę folia, & apij, atq; conizę, ex Alexandri, & Pauli authoritate. Postea bubulum stercus cum hordacea farina in aqua mulsa coctum prodest: similiter & caprillus fimus cũ hordacea farina in posca coctus Paulo teste. Altheę etiam folia cocta, trita, tũ per se, tum cum polline, vel hordacea farina, leniter.n. discutit, & exsiccat. Amarici item coma, arthemisia, abrotoni folia, pulegium, sampsuchus, brassica, serpyllum, fæniculum, sisymbriũ, mentha, ac reliqua huiusmodi cum pane, seu farina fęnugręci, erui, aut lolij, ac recẽti adipe suillo, oleoq; irino, seu nardino

Torporẽ inducentia.

Liberalior vsus narcoticorum nocet.

Somnum cõciliantia.

Discutiẽtia.

pro

pro cataplasmate imponuntur. Quod si hæc nō profuerint, fo tibus, seu liquoribus torrentis ritu ab alto proiectis tentādum erit, proficere: fiunt autem hi, chamęmeli, meliloti, fęnugreci, centauri, aliarumq; similium herbarū uecocto: nonnullis cap paris decoctum fuit auxiliū. Verùm omnibus pręstat efficacia, ex Alexandri, ac Pauli authoritate, thymum, origanum, satu-reia, & calamintha in aceto acerrimo decocta, & vbi herbę pro bè fuerint decoctę, tunc eodem aceto adhuc calido affectę par tes sępius, & frequenter super infundēdę sunt. At vbi dolor his mitior euaserit, eis vti expedit medicamentis, quę non solùm summā cutim infestantia, sed etiam in alto fixa calefacere, & di scutere queant: id autem efficit medicamentum, quod recipit adipis suilli veteris, & butyri, cuiuslibet vnc. j. olei veteris, vel nardini vnc. ij. cremoris seminis lini, & fęnugreci singulorum drac. iiij. ammoniaci, & galbani in aceto macerati singulorum drac. iij. croci drac. se. cerę quantum satis sit pro conficiendo cerato. Item & hoc præstantissimum est, quod recipit castorei, thuris sing. drac. j.s, medullę ceruinę, & adipis anseris sing. dra. iij. olei anethi, & nardini sing. vnc. ij.s, bdelij, & galbani in ace to macerati, ac dissoluti sing. drac. iij. farinę seminis lini, & fæ-nugreci sing. drac. s, cum cerę sufficienti quantitate. Laudatur etiam medicamentum, quod constat ex croco, descriptum ab Aetio. Hoc etiam tempore naturalia balnea discutiendi, atq; exsiccandi vi prędita magnopere conferunt, qualia sunt nitro sa, & aluminosa, quæ circa oppidum vocatum de Arnedillo re periuntur, desiccant enim, & calefaciunt, ac neruos emolliūt, & dolores mitigant. Nō etiam est abs re aqua marina, lixiuio, vel vino astringēte affectos articulos lauare post inflammatio-num remissionem, aut in eisdem herbas discutiendi, atq; exsic candi vi prędítas decoquere, & postea vti ad prędictam lauatio nem. Hęc remedia vir egregie pro curando articulari morbo, quo vexaris, ex grauissimis medicinæ doctoribus potui collige re, quibus si vtaris, spero, quòd aut morbum minuēt, aut te in pristinam salutem reducent, quam Deus Optimus Maximus in tegram, atque fælicissimam tibi pręstet. Vale.

Fotus.

Ca. 26. li. 12

ANTO-

ANTONII ALVAREZ

PRO CVRANDA ILLVSTRI VIRGINE BVRGENSI MESENTERII OBSTRVCTIONE, & faciei rubore laborante.

CONSILIVM TERTIVM.



DVAE in Illustri virgine considerantur ægritudines, vna obstructio quidem est cũ notatu digna duritie per totum meseterium ex crudis, crassis, & viscidis humoribus in ipso paulatim coaceruatis oborta, quorũ tenuiori parte resoluta, & crassiori remanẽte, dicta obstructio generatur, quæ à tangẽte statim sentitur cum manifesta quadam pulsatione, dictorũ autem humorum pars cum sanguiue in vteri vasa delapsa ea similiter obstruit, quo fit, vt per solitos menses diminutè expurgetur: altera verò ęgritudo, qua afficitur, paruæ quædam pustulæ sunt granorum effigiem referentes, in facie cũ ipsius rubore obortæ, quę pulcherrimum prędictæ virginis vultum ita deformant, vt præcipuam curationis diligentiam circa dictam affectionem postulauerit, cuius generandæ crediderim in causa fuisse obstructiones, quæ non permittunt natiuum hepatis, & venarum calorem refrigerari, quo fit vt plus debito inflammetur, eleuans in faciem prædictorum humorum vapores prę ternaturali calore affectos, qui ab ea, tãquam ab imbecilli parte recepti, simul cum parte sanguinis sibi nutrimentum pręstãtis, per poros delicatioris cutis foras pellũtur, & in pustulas minutiores, atq; rubentes conuertuntur, faciemque eodem colore afficiunt, & ex eisdem vaporibus caput sępissime perconsensum dolore tentatur. Et licet plurimæ reperiantur fęminæ, quę cùm obstructionibus laborent, simili faciei malo non corripiantur, eo quòd obstructio immediata illius causa non est, quia tamen in ęgrotante, de qua fit sermo, simul cum calida iecoris

iecoris intemperie reperitur, quę immoderatum generat calorem, sanguinemq; reddit subtiliorem, & ardentiorem, nō parum adiuuat prędictam sanguinis inflammationem, secūdùm cuius intensionem, aut remissionem cōtingit magis, vel minùs faciei cutim alterari, & prædicto rubore cū pustulis affici, quæ postea ob acrem sanguinis, reliquorumq; humorum qualitatē, aliquando in saniem, & vlcerationem prorumpunt.

Huiusmodi faciei malum & si in curandi methodo propriā, ac particularem exposcat animaduersionem, quia tamen cum dictis obstructionibus coniungitur, & complicatur, in vtranque affectionem curandi ratio dirigi debet, pręcipuè tamen in principio ad iecoris inflammationem, quæ magis vrget, alterius cura non neglecta: quod fiet remedijs, quæ ipsum iecur refrigerare, & corroborare valeant.

Quantùm igitur attinet ad viuendi modum, curari in primis debet conuenienti victus ratione, vtendo alimentis optimi succi, quæ vim habeant partim refrigerandi, partimq; incidendi, & aperiendi, vt sunt tenerę gallinæ, & gallinarum pulli, aut perdicum, vel alię carnes optimi nutrimenti elixę cum lactuca, cichorea, herba acetosa, radice petrosilini, & nigris ciceribus: ius autem prima mensa assumet, & in cæna eisdē herbis decoctis vbi poterit, addito pauco oleo, & aceto cū sacharo, & carne pulli, gallinę, aut perdicis assa, vel elixa, vel ptisana ex decocto hordei mundi, atq; confracti, posteaq; contusi, & expressi, addito sufficienti saccharo, ita vt amigdalati formā repræsentet. Terminabit prandium, atque cænam malum pyrum assatum, vel cytonium cum saccharo, aut eorundem caro saccharo confecta. Fugaces fructus omnes sunt fugiendi: sit pro potu aqua cum hordeo mundo, & radice petroselini decocta. A vino omnino abstinendum, nisi ob ventriculi imbecillitatem eo vti expediat, tuncque album tenue, ac valdè dilutum conueniet. Aer in quo degit ad frigiditatem, & humiditatem vergat, quare æstate talis arte preparetur moderata irrigatione aquę supra solum domicilij, in quo frequentius extiterit, quod solis calori non sit expositum. Somnus sit moderato lar-

Exercitium gior, quoniã immodicę vigilię, sicut & immoderatũ exercitiũ; & celeriter factũ, noxam inferunt, quamobrem quies magis cõmendatur. *Animi perturbationes* Ira, metus, tristitia, mæror, & reliquę animę passiones vitandę. *Inanitio.* Venter in reddendis excrementis sit obediens, & vbi res postulauerit laxandus est clysteribus molliẽtibus ex decocto maluarum, parietariæ, altheę, violarum, hordei, prunorum, atque passularum, additis olei violati vnc. iij. pulpæ cassiæ vnc. vj. & sacchari vnc. ij.

Obstructio quibus ex causis sit. Quia uerò obstructio ex frigidis, crassis, ac uiscosis fit humoribus, qui calida, abstergentia, & extenuantia remedia postulant, quibus fluidi fiant, & ad expurgationẽ apti: immodicus verò hepatis calor, & biliosus sanguis ab eo generatus, & ad superiora tendens, atq; faciei rubôrem inducens, è contra, frigida medicamenta, atq; corroborantia desiderant, ideo in curatione vtriq; affectioni prospiciendum, magisq; consiliũ curantis ad eã, quæ magis vrget, inflammationem dirigẽdum. *Syrupi.* Erunt igitur syrupi dictos humores prępar͂ates frigidę, atq; incisoriæ facultatis, quales sunt ex succo cichorij, & duarum radicũ sine aceto, cum decocto radicum cichorij, petroselini, hordei, quatuor seminum frigidorum maiorũ, acetosæ, & portulacę, quibus per aliquot dies vti expedit, donec humores expurgandi probè cõcocti sint. Interim verò vt hepatis calor temperetur, & ea, quę desideratur sanguinis fluentis vacuatio, & reuulsio *Sanguinis missio.* fiat, optimũ erit sufficienter sanguinẽ mittere è dextri brachij basilica semel, & iterũ pro redundãtię ratione, pręsertim quòd per menses diminutè euacuatur, & florens ætas, atque vires *Expurgatio* egrotantis venęsectioni nõ contradicunt. Post debitam coctionem, atq; humorum pręparationem noxij humores, maximeq; biliosi, sunt expurgandi manna, vel cassia, aut diapruno simplici cum syrupo è nouẽ infusionibus rosarum persicarũ, dissolutis in infusione tamarindorum, myrobalanorum citrinorum, & rhabarbari, est.n. rhabarbarum familiare hepati medicamẽtum: quia verò pręstãtissima hęc fœmina illud abhorret ex propria natura, alijs propositis vti poterit, quoniã temperata cùm sint, calorem iecori, aut venis non inducent, quibus per inter

nalla vti expedit, ne agregent humores, qui ad lęsas particulas magis fluant. Corpore vniuerso expurgato, quoniã menses di minutè fluũt, prope tẽpus, quo fluere solent, secãda est ex talo vena, vt fiat euacuatio per uenam vtero propinquiorem, & reuulsio ab hepate, & à capite per distantiorẽ: quia verò oportebat primas venęsectiones fieri ex basilica dextri cubiti ob maiorem fibrarũ rectitudinem, & communionẽ cum iecore, fiet tertia hæc sanguinis missio ex sinistro crure, ob manifestiorẽ directionem, quam habẽt venę sinistri lateris cũ liene, qui feculentũ, ac nigrum sanguinẽ in sinistras, ac inferiores partes magis, quã in dextras deponit. Ad reuulsionem etiam, atq; tractionẽ humorum ad infimas partes cucurbitulę citra scarificationem femoribus applicitę, & crurum frictiones, lotiones, ac ligaturę maximè conueniunt. Post vniuersales euacuationes hepar refrigerandũ est, quod fiet, si quolibet mane sumat vnc. viij. cremoris ptisanę confecti ex hordeo, cortice mũdato, & quatuor seminibus maioribus infrigidantibus probè excorticatis, & radicibus cichorij, addito sufficienti saccharo; si iecur etiam inungatur vnguento refrigerante Galeni ęquali santalini parte, addito cichorij succo, oleo de cucurbita, & pauxillo aceto rosaceo, & post vnctionẽ linteum superponatur, quod succis cichorij, nenupharis, portulacę, absinthij, aqua rosarũ, & pauco aceto rosaceo cõmistis, madefactum sit: quo tẽpore dorsum vnguẽto refrigerãte Galeni inungendũ, artificialibusq; balneis aquę dulcis vtendũ, in qua violę, nenuphar, hordeũ, scariola, lactuca, salicis folia, buglossum, & similes herbæ infrigidãtes decoctę sint. Post balneum sumat tabellam ex confectione diamargaritonis frigidi, desuperq; bibat vncias sex aquæ cichorij, & portulacę, vel seri lactis caprini. Loco balnei etiã prosunt euaporationes per vteri vias receptæ ex decocto maluarũ, altheæ, violarum, hordei, & florum camęmeli, & inguinum, ac partiũ circumiacentiũ inunctiones vnguento confecto ex olei amigdalarum dulciũ, atq; amararũ, & de cucurbita sing. vnc. ij. axũgię gallinę, & anseris, atq; butyri vaccini recentis sing. drac. iiij. ladani depurati drac. ij cum cerę sufficienti quantitate.

Venæsectio ex talo, diminutè fluẽtibus mensibus, conuenit.

Cucurbitulæ.

Hepar refrigerantia.

Inunctio.

Balnea.

Euaporationes.

Abstergentia.

Post hęc, humores iam fluxi, & in læsa faciei parte contenti abstergẽdi, discutiendiq; sunt, medicamentis vim discussoriã, atque abstersoriam habentibus, quę etiam in principio aliquo modo fluẽtem adhuc humorem repercutiant: quod fiet lacte muliebri, aut caprino, vel emulsione quatuor seminum frigidorum maiorum, & seminis papaueris, si linteum his madefactum supra lęsam cutim imponatur, & post remissionem inflãmationis vnguento citrino pustulę, & rubrę maculę inungantur, aut vtatur aqua confecta ex aceti albi, & acris libra semisse, litargyrij albi vnc. s, bene commistis, & postea per ellychniũ ab vno vase in aliud destillata, vel ea, quę recipit aquę fontanę lib. s, salis ammoniaci vnc. iij, quod per noctem in eadem aqua infusum sit, deinde fit destillatio per ellychnium ab vno uase in aliud. Prędictę aquę in vasis vitreis seruãtur, & postea vtriusque aquę duabus guttis mistis sępiùs facies lauanda, est enim remedium efficacissimum pro delẽdo illius rubore, ac quibusvis maculis. Ad idem etiam prodest aqua, quę fit ex carne pinguioris gallinę minutim incisa, & vnc. ij. sacchari albi, chrysocollæ vnc. j. destillatis in balneo Marię per vitreum vas. Cõfert præterea mistura quædam medicamentorum abstergentium (quę ab hispanis, muda dicitur) si ea noctu facies illinatur, & summo mane aqua destillatitia ex radice libij albi, & raphani lauetur: fit autem ex amigdalarum amararum, radicis lilij albi, & raphani sing. vnc. j. cum mellis sufficienti quantitate donec opiatæ formam referat. Est & aqua experimento comprobata ad delendas maculas, ruborem, & paruos faciei tumores, vel pustulas, quæ iam vlcerationem suscipiunt, eximiam habens vim, quæ fit ex tribus pugillis florum fabarum, & vnc. j. stercoris columbini, cum vnc. iij. aceti albi acerrimi, & quatuor aquę vitæ, cum sanguine leporis ad pondus omnium, ex quibus cõmistis, per vas uitreum in balneo marię prędictę aquę destillatio probè efficitur. Ad idem valet alia aqua confecta ex lib. s. florum fabarum, terebenthinę abietis decies lotę, & aloes optimi sing. vnc. j. lactis caprini lib. j. omnibus mistis, & per vitreũ vas in balneo mariæ destillatis, cui iam ab igne semotę addi debent

bent chrysocollę (quam boracem vocant) vnc. ij. caphuræ ele-
ctissimę vnc. j. quibus sæpissime aqua mouenda est. Alia aqua eiusdem facultatis extrahitur ex cucurbita vna sine cortice in plurimas partes diuisa, & duodecim albuminibus ouorum recētium, & chrysocollæ, ac sacchari candefacti sing. vnc. j. lactis caprini lib. s, terebentinæ abietis decies lotæ vnc. ij. quibus mistis, ac destillatis per uitreum uas in balneo mariæ perficitur dicta aqua. Oleū ex myrrha extractum maximè conducit ad omnes faciei maculas detergēdas, fit autem myrrha in puluerem redacta, & in vase terreo, ac uitriato posita, ac sępiùs iuxta ignē in eodem uase mota, posteaq; per linteum expressa, quemadmodum amigdalarum, aut sesami oleum extrahi solet.

Consultò tot aquarum abstergentium genera proposui, vt omnes paratæ sint pro ægrotantis auxilio, vti autem poterit continuatim eis, quibus maius senserit iuuamentum, & temperatioribus, quando circa faciem intensior sentiatur inflammatio: semper autem in earum usu obseruandæ indicationes sunt, quas morbi tempora postulauerint.

Quando nec uniuersalioribus dictis remedijs, neq; particularibus auxilijs, seu medicamentis tam interiùs sumptis, quam exteriùs applicitis prædicta faciei rubedo cum pustulis nō fuerit abolita, aut prædictæ aquæ nihil profecerint, tunc conueniet ad vehementiora transire, quæ uim habeant ciendi menses, à principio non vehemēter calidis, qualia sint maioranæ, & polij decoctum in aqua mulsa, vel dictarum herbarum puluis tenuissimus cum aqua mulsa sumptus: quòd si uehemētiùs mouentibus vti expediat, proderit maximè puluis ex sabina, & dictamno tenuissimè præparatus, & eadem mulsa exhibitus, præsertim quando prope est tempus solitę mensium purgationis, si ante aduentum, simul utatur fomentis aperientibus, & unctionibus circa pubis ossa, & totam uteri regionem, aut balneo ex decocto herbarū, quæ calidæ, atq; aperiētis uirtutis sint prędite, quales sunt artemisia, maiorana, polium montanum, pulegiū, satureia, serpyllum, hyssopus, camemelum, melilotū, apium, petroselinum, fęniculum, ruscus, pastinaca, eryngiū, & *Menses concitantia.*

aliæ

alię similes. Ad idem valet, octo diebus ante mensium tempus quolibet mane sumere vnc. viij. iuris pulli, cum quo semina fæniculi, cimini, cari, dauci, & nigra cicera sint decocta. Vel decoctum artemisię, radicis helenij, & seminis apij, atq; petroselini, cum mellis sufficienti pondere. Prodest quoq; magnopere cõtinuatus vsus tabellarũ ex cassię ligneæ, seminis fęniculi, & dauci sing. drac. s, seminis melonis, & cucumeris sing. vnc. s, cũ sacchari dissoluti in aqua destillatitia capillorum veneris sufficiẽti quantitate pro tabellis conficiendis, quibus ieiuno ventriculo vtendũ cum aqua mulsa, vel destillatitia ex adianto. Idẽ pręstant, vehementiùs tñ, trocischi de myrrha põdere vnius drachmæ quolibet mane sumpti cum aqua mulsa, vel capillorum veneris (quo tẽpore vngi quoq; debet inferior venter, ac mesenteriũ unguento ex deoppilatiuo succorum cum oleo capparũ, succo radicis bryonię, & rubię, ac cera confecto) & uti balneis artificialibus, & insessionibus ex decocto herbarum calidiorũ, vt ex sabina, artemisia, camęmelo, polio, calamintha, ruta, & similibus. Ex quibus etiam parari poterũt sacculi, & actu calidi, atq; albo uino uetustiori rorefacti super inguina, & pubis ossa imponẽdi, quę partes postea inungendę sunt unguẽto ex olei irini, & lilij albi sing. vnc. j. capparum, & amigdalarum amararum sing. vnc. s, succi rutę, sabinę, & artemisię, sing. drac. iij. cũ cera composito. Ad idem præstant pessaria uteri ceruici applicita ex his, quæ trahendi, euocandiq; menses uim habeant, composita, quorum descriptionem prætermitto, quia eorum vsum uirgines abhorrent. Quando dictis remedijs menses statutis temporibus liberaliùs fluant, faciei tamen rubor, & pustulæ non desistant, tunc uti expediet setone circa ultimas colli uertebras, per quem humores ad faciem fluentes euacuentur, & diuertantur, curandumq; est, ut multo tempore sit apertus. Quod si huiusmodi auxilium renuat, eius loco in dextri humeri conuenienti parte cauterium ignitum applicandum, fontanellaque formanda, per quam dicti humores simul euacuentur, & diuertantur. Faxit Deus ut prosperè, atque feliciter res cedat.

Vsus setonis

Fontanella.

ILLVSTRISSIMO,

PARITERQ; DOCTISSIMO

D. IOANNI FERNANDES DE

Velasco, Comiti de Haro.



ANTONIVS ALVAREZ S. P. D.



VM INTER ME, & doctissimum medicum, atque philosophiæ antiquum professorem Bernardinum longum de elementis mundi, quæ sensu percipiũtur, sermo incidisset, & te præsente (princeps illustrissime, qui nostra ætate, ingenio, & literarum splendore singulari vales) meam de eorundem impuritate, ac vera per aliorum mistionem compositione, sententiam proposuissem, quam ille tua eruditione neque dignam, neque satis exploratam, probatamque iudicasset, imo contentiosè disputans eadem nostra vocata elementa, quibus vtimur, verè esse simplicia, & impermista protulisset: ad eundem tandem epistolam scribere decreui, qua nostram comprobaui sententiam plurimis, & grauissimorum virorum auctoritatibus, & rationibus: ille uerò suam volens tueri, alteram ad me misit, aduersus quam rescribere non dubitaui. Cùm verò aliqui studiosi medici, atque verę philosophiæ amatores nostras epistolas perlegissent, easque typis mandare postulassent, eis obtemperare omnino renuissem, nisi tuo patrocinio tuto commisissem, cui pręter familię genus inclytum, atque maiorum gloriam, fortunæque, & animi dotes, etiam in re philosophica summum studium, & acre iuditium inest, quo non censuram tuam (quam maxime formido) sed patrocinium potiùs aduersus cauillantes (si qui forte sunt) expe-

experiri uellem. Siquidem hæc aliquibus non probari, & fortasse non nimis docta, aut exculta videri non dubito: si tamen id, qualecunque sit opusculum, tuo graui, & firmo iuditio dignum efficias, detractorum calumnias non timebo. Reprobent enim indocti quantum velint, dummodò tu nostram, & si exiguam, operam probes, & meum erga te animum syncerum, fidemque, & sedulum obsequium cognoscas: quod si (vt spero) efficies, ad maiora perficienda animum excitabis. Vale princeps illustrissime totius nostræ Hispaniæ decus, & ornamentum.



ANTO-

ANTONIVS ALVAREZ
EXCELLENTI VIRO IOANNI BERNARDINO LONGO MEDICO, atq; Philosopho eruditißimo. S. P. D.

EPISTOLA QVINTA.

PROBATVR ELEMENTA MVNDI, quæ sensu percipiuntur, verè mista esse.



TSI AVDACIAE, aut potiùs dementiæ summæ posset tribui, cum tanto viro, & in re philosophica adeò versato coram illustrissimo principe Comite de Haro omni doctrinæ genere literatissimo de impuritate, atq; permistione mūdi elementorum sermonē fecisse, & aduersus viri adeò eruditi sententiam eorundem quodlibet vera, & propriè dicta mistione commisceri, contentiosiùs disputasse, id tamē solatij reliquum est, quòd de certamine cū antiquo philosophiæ professore possim gloriari. Asseruisti elementa istęc mundi, etsi pura non sint, tamen nullatenus permista, saltem vera mistione, dici posse, sed impropria duntaxat per iuxta positionem. Quod quantum deuiet à rei veritate paucis ostendam, si priùs demonstrauero ex Galeni mente, elementa, quæ sensu percipiuntur, verè esse mista. Quod libro de elementis pronunciauit, dicēs nullum syncerum in corpore humano apparere elementum, neq; aliquam particulam assumere nos posse quantumuis minimam, in qua elementorum aliquod, vnum, purū, atq; alteri impermistum inspiciatur. Et subiungit, non solùm in animalium corporibus terram synceram, atque impermistam non reperiri, sed neque in mundo talem posse ostendere: nam quamcumque ipsius portionem assumpseris, statim hæc

Elementa quæ sensu pcipiūtur, mista sunt.

& calorem, & humiditatem, & substantiam aeream participat. Deinde refert. Quare si quæris in animalibus terram, talem potes reperire quidem etiam in mundo: impermistam autem, & integram, & solam, neque in illo facilè inueneris, sicuti nec aquam synceram omnis mistionis expertem, nec ignem, nec aerem: hæc enim omnia sunt adulterata, atque alteri naturæ diuersæ commista, & secundùm magis, & minùs simul coniunguntur: verùm in hac mistione, his, qui mentem habent, elementi exuberantis forma deprehēditur. Quibus vtiq; verbis Galenus monstrat, elemēta intersese vera mistione permisceri. Sed iam rationibus agamus. Si vera mistio miscibilium alteratorum vnio dicitur, citra dubium elementa pura, & simplicia verè miscentur, & cōstituunt isthæc mundi elemēta: quæ iam non elementorum, sed mistorum potiùs nomen merentur: vocantur verò elementa respectu aliarum rerum naturalium, quæ ab ipsis constituuntur, quoniam illorum facta collatione simplicia sunt, cùm tamen re uera sint permista. Quod ex eo manifestum est, quia coniuncta purissima elementa verè miscibilia sunt, & suis qualitatibus contrarijs inuicem alterantur, atque vniuntur, & constituunt elementum impurum, quod permistum re uera, & propriè ego nuncupaui. Non negabis enim purissima elementa esse miscibilia sua natura, & coniuncta interse vniri, & adinuicem alterari, & sic verè commisceri, & constituere elementa isthæc mundi impura, & commista, comprehendique à vera quidditate, & definitione mistionis, quæ miscibilium alteratorum vnio dicitur: *Quid sit mistio.* quę autem alterantur, contraria sunt, & mutuo pugnant. Nō enim aqua aquæ misceri dicitur, neque vinum vino, quia similia sunt: licet enim quoad substantiam misceri, & vniri videantur, nullam subeunt mutationem, nec vires amittunt, aut suæ qualitates remittuntur: quia nullam interse habent contrarietatem; res autem, quæ miscentur, contrariantur, *Res quæ miscentur contrariantur.* & contrarijs qualitatibus inter se pugnant, & alterantur: quēadmodum syncera, & pura elementa, quæ ratione pugnantiæ verè inter se misceri dicentur: præsertim cùm habeant corpora

pora ad mistionem idonea; facilè enim diuiduntur in minutissimas portiones, & inter se vniuntur, veraque ex illa vnione mistio perficitur. Verùm illud considerare oportet in vera mistione, quæ miscentur ita debere contrariari, vt non sit eorum tam inæqualis contrarietas, quòd debilius à fortiori, & valentiori vincatur, & superetur, adeò vt in contrarij naturam vertatur: tunc enim non mistio, sed generatio fieret. Nō enim dicimus vnciam vnam vini mille vntijs aquæ commisceri, neque lignum igni, aut alimentum corpori miscetur: quoniam vinum in tam diminuta portione vincitur ab ingenti aquæ quantitate, & in illius naturam conuertitur, ea, quam antea retinebat, amissa: & lignum in ignem mutatur propter maiorem ipsius vim, & alimentum amittit propriam substantiam superatum à nostro corpore, in cuius naturam conuertitur: & sic hæ omnes omnimodæ mutationes generationes sunt, eo quòd vnum contrariorum omnino corrumpitur, & superatur; quod in mistione non contingit, in qua miscibilia remanent eo modo, vt vnum alterum non corrumpat. Sic igitur quatuor elementa purissima, & simplicissima cùm sint, misceri dicuntur, & constituere ea, quæ composita, & mista sunt vocata elementa, de quibus est nostra disputatio, nihilq; in eis ad veræ mistionis naturam deest. Quatuor enim purissima elementa simplici suo esse considerata diuiduntut in minimas partes, talique ordine inter se iunguntur, & componuntur, vt iam mistum vocatum elementum constituant, cuius quæuis portio perceptibilis sensu non reperitur, quin in ipsa sint quatuor portiunculæ quatuor elementorum, & in illarum quauis elementum retineat suam formam talem, & tam integram, qualem obtinebat ante mistionem: eò quòd substantiæ non recipiunt intensionem, aut remissionem. Ex quo manifestissimè sequitur, quòd elementorum substantiæ in mistione non miscentur ad inuicem, & se penetrant vsque ad minutiores particulas, quoniam natura non fert corporum penetrationem: qualitates eorundem sunt, quæ totę, alię alijs miscentur, & confunduntur tali modo, vt per totam compositi

In mistione non corrumpuntur miscibilia.

In mistione, elementorũ

qualitates sũt, quę omnino miscentur, & confunduntur, non substantiæ.


siti magnitudinem fundantur, & mutua pugnantia, sua adinuicem contrarietate tandem per sui confusionem, & reciprocam actionem, & passionem resultat, & insurgit certum similare genus temperamenti per vniuersam misti substantiam, tuncque integra qualitatum mistio perficitur, & elementa manent sic commista, & vnita, vt pro diuersitate misturæ, & temperamenti, quod ex illa consurgit, modò ignis, modò aer, nunc verò terra, aut aqua generetur, quæ sunt isthæc mundi composita, & mista elementa: quorum vnumquodque ex modo mistionis assimilatur sua substantia, & qualitatibus, illi purissimo elemento, & simplicissimo, cum quo maius habuerit commertium. Inde est quod ignis hic noster igni, & aer aeri, similiter aqua aquæ, & terra terræ, simplicissimis elementis, & purissimis respondeant, eaque imitentur: & si differant maximè ab eis, quòd simplicissima sunt, & impermista: hęc verò mundi elementa nostra, mista, & composita dicantur, licet ratione habita ad ea mista, quæ ex illis componuntur, simplicia nuncupari possint: quemadmodum partes similares nostri corporis respectu earum, quæ instrumentariæ sunt, simplices dicuntur, cùm tamen componantur ex semine, & rursus semen ex sanguine, & alijs humoribus in eo contentis. Quod etiam Plato in Philebo innuere videtur, dicens vnumquodq; apud nos existentium elementorum exiguum, ac vile esse, nec vllo modo syncerum, nec vim natura sua dignam ferens. Idipsum refert Marsilius Ficinus de mente eiusdem Platonis suo compendio in Timęum, asserens elementa infra lunam in vnã molem esse compacta, & ignem esse soliditatis terrenæ participem, ne ob tenuissimam, mobilissimamque naturam continuò dispergatur: terram quoque per se torpentem ignis consortio actionem, vigoremque nancisci. & subiungit, quod si extrema miscentur elementa, nihil mirum quòd media medijs, extremisque misceantur. Et Aristoteles secundo libro de ortu, & interitu, textu vigesimo, apertè docet, hæc elementa esse mixta; inquit enim. Non est autem ignis, & aer, & vnum quodque prædictorum, simplex, sed mistum; & ait, non vo-

Fol. 89. ad finem.

cari ignem, sed igneum, aereum, non aerem, perinde ac denominatio fiat ab elemento in misto dominante. Manet igitur probatum isthæc mundi elementa, quæ sensu percipiũtur, verè esse mista, & non impropriè per iuxta positionem, quemadmodum tu asserebas: vt contingit in aceruo tritici, in quo grana granis iuxta ponuntur, per iuxta positionem enim non vniuntur; at elementa cùm permiscentur, faciunt cõtinuum. Idque ex eo patet, quòd si à terra elemento impuro, & aquæ permisto, velis aquam separare, & remouere, nũquam efficies, quin simul cum terra aquam auferas. Abunde satis probatum est, elemẽta isthæc nostra verè esse mista, quod pollicitus sum demonstrare. Spero te virum alioquin doctissimum nostræ sententiæ subscripturum, equumque promissum pro huius quæstionis de elementis elucidatione libenter missurum. Vale, & me in eorum numero reputa, qui tibi sunt deditissimi.



EXCELLENTI VIRO ANTONIO ALVAREZ PHILOSOPHO, AC MEDICO DIGNISSIMO.



IOANNES BERNARDINVS LONGVS S.P.D.



NOn est profectò quòd dementiæ, vel temeritatis quidpiã tibi ascribere possim, quin potiùs summæ humanitatis multum, maximeq; pręstantiæ in nostris disciplinis, cùm à rebus ita grauissimis, qualia sunt obiecta, quę mihi per epistolam opponis, me indignum philophum salutare volueris: cui scias iucundissimum fecisse, & vt nihil supra quàm gratissimum. Attamen si responsionem ego nõ antea fecerim, accusari aliqua ex parte nõ debeo, ea enim occurrit statim, cum alia mihi opus non esset, quę meã de elementis sententiam tueretur, nisi ea semper, quam improbare putas, quæ ue mistionem veram à falsa, & per abusionem dicta seiungit. Sed profitendi, vnaque medendi munus, quo detineor, fecit, vt eam literis mandare hucusq; distulerim. Asserebam etenim, cum primùm apud illustrissimum Principem Comitem de Haro nata inter nos fuisset disceptatio, quòd elemẽta in proprijs locis simplicissima sint corpora, veręque mistionis nihil contineant: in illud (pace tua) per epistolam ita demonstratum nõ esse video, vt nulla potiùs ex parte probatum esse videatur. Quid enim vnquam demonstrare potest auctoritas? eaque pręsertim Galeni primo de elementis, quę adeò permista, & impura in citatis à te verbis appellat, vt post pauca eodem in loco, de ijsdem elementis audacter protendum esse concludat, terram, ignem, aquam, & aerem prima esse, communiaq; rerum omnium elementa, cùm ipsa sint inter ea corpo-

corpora, quę rerum vniuersitate comprehendũtur, omniumq; prima, atq; simplicissima, vsque adeò, vt alia deinde omnia, stirpes inquam, & animalia ex his sint concreta, & subdit. Atq; Hippocrates libro de natura humana non solùm inquit oĩum, quę in mundo continentur esse elemẽta, sed etiam primus ipse qualitates eorum definiuit, per quas inter se agere, & pati possunt. Ex quibus palam vnicuiq; fit, ea apud Galenũ prima esse, ac omnium simplicissima, quæ superiùs impura, & permista posuerat: quasi impuritas illa corporis simplicitatem non amoueat, neque primitatem. Imo si Galeni mens eo in loco rectè perpendatur, nihil aliud voluisse patebit, quàm demonstrare, nullum omnino elementum ab alio ita seorsum reperiri posse, vt vnum alteriùs naturam minimè sapiat: quod quidẽ falsum esset, si simplicia quędam elementa existerent, pręter illa, quæ impura, & aliquo pacto permista sunt. Si verò dicat fortasse quis, illa reperiri, insensibilia tamen esse; hoc abhorret vniuersa peripateticorum schola, quę iam multoties ab Aristotele accepit, sed pręserrim primo de generatione, & corruptione, insensile nullum esse naturale corpus. Vltraque petendum esset vbi nam ea sint, & necessariò aut locum non habere fatẽdum esset, quod Aristoteles redarguit quarto libro de physica auscultatione, aut infra cælum esse, sed locũ hunc occupant elementa ista quatuor, quæ inuicem alterantur, permistaq; ponũtur. Pro veritate igitur nostra Galenum habemus, dum non aliò sua vergit oratio, quàm vt doceat hæc mundi elementa nunquam reperiri posse, nisi adinuicem permista, ea tamen vnione, quę corporis simplicitatem, atq; primitatem manere facit, eaq; propter in altero capite (vt loca taceam innumera) subdit, elementum illud esse, quod immistum est, & cuiusque mistionis expers. Auctoritates deinde Platonis, & Ficini, quẽ non tanti facio, vt veluti Platonem, cæterosque auctores audire vellem, concludunt quidem, impura esse mundi elementa, & non syncera, mista tamen ab alijs prioribus, atque simplicioribus nũquam asseuerant. Sed omissis auctoritatibus ad rationes accedamus, à quibus demonstrari aliquid prætendi

posset,

poſſet. Tota ratiocinatio vnica dũtaxat ratione complectitur, quæ preter miſtionis definitionem duo ſupponere videtur ambo probanda: commiſceri ſcilicet illa ſimpliciſſima elementa, vt miſta hęc elementa mundi partes efficiantur. Sed hoc eſſe impoſſibile docuit primùm Empedocles, qui per inimicitias eſſe elementa dicebat, atque ſeruari, per commiſtionem, confuſionemq; illorum chaos eſſe, mundumque deſtrui. Probandum etenim potiùs erat, elementa iſthæc miſta eſſe, & à ſimplicium miſtione prouenire, & elementa illa puriſſima dari, à quibus hęc miſta dependeant. Præterea ad quid à puriſſimis hæc impura ponere? ſi hęc ipſa ideo impura ſunt, vt inter ſe inuicē agendo, & patiendo, vno corrupto aliud generetur: itaque ſe inuicem continuefaciant, ac ſeruent, ob quod vnum penes aliud natura digeſſit. Ad illud verò non vera commiſtio requirebatur, niſi ſola per contactum vnio, qua, merito contrariarum qualitatum agendo, & patiendo ita tranſmutantur, vt victum in uincentis naturam conuertatur: hocq; genitum, non miſtum appellatur. Quamuis igitur ex elementis elemēta prouenire concedam, atque elementa miſcibilia eſſe: non propterea ſequitur, ergo elementa ab elementis per commiſtionem eueniunt. Ex elementis enim elementa fiunt, nō miſtione, ſed actione reciproca. Porrò miſtio, vnio quidem eſt miſcibilium; ideſt, eorum, quæ actu facilè miſcentur: non tamen eorũ, quę miſceri poſſunt, non tamen miſcentur. Quarè & ſi miſceri elementa poſſint, dum animalia, ſtirpeſque formantur, non tamen miſcentur, dum inter ſe inuicem generantur, & fiunt. Quod quidem ſecundùm partes ipſorum intelligendum eſt, ſecundùm Ariſtotelis doctrinam: quoniam elementa ſecundùm ſe tota neque generantur, neque intereunt, vt cōcluditur tertio libro cœli, & mundi. Dum miſcentur elementa, tot entium genera fiunt, tantuſque numerus indiuiduorum: ſed per ſimplicem, mutuamque actionem, & paſſionem, in ſuis locis, quę ſolo contactu quodam efficitur, vnum ſolummodò, quod vincit, remanet, alio deſtructo, quod vincitur: & huius gratia effecta eſt viciſſitudo temporum à prima latione prouenienS,

cui mundus hic inferior contiguus est, ut rectè gubernari possit, vt vno vicissim elemento intensiori facto, remittatur alterum, & ex parte corrumpatur. Quæ tandem de mistione disseris, doctissima sunt, & ab Aristotele sumpta, quòd scilicet, cõtraria illam efficiant, eaque in proportione quadam, & gradu, non corrupta: sed aduertas quod nec omnino integra, sed manentia in esse, quod castigatum Philoponus, Auerroes refractum appellat, dum in minutissimas partes diuisa confunduntur. Et alia quæ addis, & si miscibilia monstrent esse elementa: nunquam tamen concludent misceri simplicia elemẽta, vt hæc mista fiant, & impura: cum hæc eadem (vt dixi) sint, quę, inter se inuicem trãsmutatis vsque ad materiam communem, fiunt, atque seruantur: non enim alium generationis ipsorum modum posuit Aristoteles eodem tertio libro cœli, dũ inquit concludens, ea non ex corpore fieri, nec ex non corpore, sed ex se inuicem. Quòd autem ipse non alia nouerit elementa pręter ista quatuor, patet ex discursu libri de cœlo, dum quinque tantùm esse corpora simplicia proposuit, cœlum scilicet, & quatuor elementa, quibus vniuersus ornatur mundus. Duosque insuper motus simplices rectos posuit, à mediò, & ad medium: ignemque, & aerem à medio moueri, aquam verò, & terram ad medium. Extrema elementa sunt ignis, & terra: media aer, & aqua. Sicque loca hęc à mistis per te elementis si occupantur, quis quæso locus erit simplicissimorum? Elementorum insuper sufficientia per quatuor combinationes qualitatum primarum inuenta est, quod si ea simplicia essent, & mista, plures combinationes, aut alias exigerent. Et licet secundo in libro de generatione, & corruptione dicat, syncera esse extrema, ignem, & terram, media verò mista magis, aquam, & aerem, hoc non ob aliud fieri putandum est, quàm quoniã media magis pati possunt, atque alterari, & ideo mista: contra ea quæ syncera dicuntur. Ampliùs, si ibidem qualitates assignans elementorũ vnicuique, inquit, terra sicci magis, quàm frigidi, aqua autem frigidi magis, quàm humidi: aer humidi magis, quàm calidi, ignis verò, calidi magis, quàm sicci, scan-

dalum propterea quis accipiat de verbo magis, quod contrarij admistionem significare videtur, legat Alexandrum super primo meteororum commentario suo decimo tertio, dum statuit per magis, primò intelligendum esse: est enim vna cuique elementorum qualitas prima, & essentialis forma, altera vt oppositio quædam. Deniq; si plura quam ista quatuor essent elemẽta, compositiones plures imaginari oporteret ab ijs, quas recẽsuit Aristoteles secundo de partibus animaliũ, addenda enim esset post primam, quæ est elementorum ex primis virtutibus, primaq; materia, altera, quam tu ponis mistorum elementorum à simplicibus; quod noluit philosophus, qui post eam subdit, secundam esse similarium partium ab elementis. Igitur absq; ratione multiplicarentur entia, & absq; necessitate, si mista hæc esse mundi elementa ponantur: non enim mista sunt, sed sua natura simplicissima, ad inuicem tamen per mutuam actionem impurificata, quod mistionem non addit, neque vlteriorem compositionẽ naturę ipsorum: sed solùmmodò pręsentiam alterius rei in ipsis, quę aut simultas, aut additio quędam, aut vniuersaliter vnio appellanda est. Non enim omne, quod cum alio reperitur, statim illi mistum esse fatendum est, sed aut simul cum eo, aut ei contiguum, aut continuum, aut in illo, aut ex cõsequenti, vt declarat Aristoteles quinto libro de physica auscultatione: quę omnia per abusionem quandam admista nuncupamus. Quarè elementorum partes adinuicem simul esse dicendum est, dum eodem loco adsunt trãsmutationem quærentes mutuo contactu. Quod si mistum esse quis cõtentiosiùs voluerit disputare, si in re ipsa conueniamus, paruifacio nomina, quæ sunt vnicuiq; ad placitum. Ego (vir eruditissime) ex his sum qui Aristoteli obtẽpero, qui pręcipit multoties, non derelinquẽdum esse sensum propter rationem: ne forte in hac pręsertim re deridendus essem, si de elementis, nõ prout Hippocrates, sensibiliter, & vt ad medicinam conferũt, intelligere vellẽ, iurè etenim inquit Galenus libro de optima secta deridendos medicos esse, qui de rebus sensui euidẽtibus, sententiam, non sensibus, sed ratione aliqua ferre conantur,

vt

vt Asclepiades, & cæteri. Quis enim non videt aquam, aerem, terram, ignem, modò vna, modo alia ratione commutata vicissim? ignis, & suprema aeris plaga, ab exhalationum, & vaporum presentia vertuntur in ardores, cometas, trabes, currẽtia sydera, & id genus, aer in nubes, pluuias, rores, in calorẽ, in frigus, aquas, hasce salsas, hasce dulces, has dulcedinis expertes, has ceruleas, has nigras videmus, sicuti terram, aut arenosam, aut salebrosam, aut bituminosam, aut ferreã, & alias quamplures, ea pati vicissitudines. Hoc autem fit, non ex eorũ naturis, sed ex fatali ordine mundi, qui vt seruari possit, continuas mutationes elementorum exigit. Alterantur enim elementa, quia contigua, alterantur, quia subdita cœlo, alterantur ob vapores, & exhalationes, alterantur à mistorum corruptione, vt patet in pestilentijs, quas igne fugandas precipit Hippocrates, alterantur denique à sole, & planetis, qui accessu, & recessu, motu, ac lumine varias permutationes in illis efficiunt. His volo responsum fuisse, & meam de elementis sententiam verè monstratam. Cui debet se Peripateticus subscribere. Vale, boni in his, & omnibus erga te animi mei non immemor.




EXCELLENTI VIRO IO: BERNARDINO LONGO medico, atq; philosopho clarißimo.

ANTONIVS ALVAREZ S. P. D.

Epistola sexta.

IMPROBANTVR RATIONES BERNARDINI longi, quibus nititur suam confirmare sententiam de simplicitate elementorum mundi, quæ sensu percipiuntur.



ERGRATAE mihi fuere tuæ literæ omni bona doctrina refertæ, quibus adhuc conaris tuam de simplicitate elementorũ mundi, quę sensu percipiuntur, tueri sententiam, adeò vt nullatenus permista vera mistione dici posse existimes, tametsi & auctoritatibus, & rationibus verè mista esse, à nobis (vt opinor) fuerit comprobatũ. Quod vt clarius innotescat, conueniamus in his, quæ coram Illustrissimo principe Comite de Haro, oborta de hac re disputatione, fuere concessa, elementa nempè proprijs in locis simplicissima esse corpora, veręque mistionis nihil continere; de quibus nostra non fuit disceptatio: quis enim negabit, talia ex propria natura esse? à nobis tamen percipi nemo concedet. At nos de elementis, quæ sensu percipiuntur, sermonem facimus, eaq; verè mista esse asserimus vera mistione primorum elementorum, quæ simplicia, pura, & suapte natura impermista sunt, & à nostro sensu non percepta. Ridiculum enim esset, & dementiæ proximum existimare, synceras nusquam haberi elementorum naturas: nã quæ apud nos extant, tametsi impura, & verè permista dicantur, & sint, syncera tamẽ alicubi esse necesse est quæ principia sunt, & veluti fontes à quibus ista fluxerunt. Hæc enim norma, hæc regula, hæc præscriptio naturæ, vt omnia ordine

ordine quàm optimo ducat, & disponat: atqui optimum erat, & ornatissimum, impura ex puris, & permista ex impermistis quibusdam manare. Potuit autem natura, & decuit sic efficere, vt simplicissima corpora statim quòd composuisset, mutua suorum corporum, & qualitatum confusione alia mista corpora illico constituere, pro varia ipsorum mistione: quæ sunt ista impropriè vocata elementa à nobis sensu percepta, cùm tamē simplicia, quæ ipsorum compositionem, & mistionem ingrediuntur, quemadmodum & materia prima, & forma, sensu nostro non percipiantur. Non igitur valet hæc ratio, non percipit sensus, ergo nullibi sunt: cum prima materia, & similiter forma, & ipsa prima, & simplicissima elementa, in mistis vocatis elementis verè sint, & contineantur, licet ea sensus nequeat comprehendere. Hæc autem mista, & quæ apud nos extant, vocata elementa, & si vera elementa non sint, quia tamē ijs proxime accedunt, à quibus olim manarunt, par vtrorūq; ratio censetur. Et de his nostra est controuersia, eaque Galeni auctoritate (qui plurimū apud me, & peritissimos quosq; medicos, ac philosophos valet) permista, & impura primo de elementis comprobaui: quod etiam innumeris alijs in locis asseruit. Neque enim triticum, & hordeum, & singula legumina, aut herbę, vel fructus, quæ ex terra procreantur, ex terra purissima, syncerissima, & siccissima gignūtur, vt ipse inquit, nisi fit aliquo humore permistæ. Nihil enim simplici elemento nutriri, vt neque nasci potest: stirpes siquidem, quę prodierūt è terra, non illinc omnia traxerūt, nisi ipsa fuisset humore perfusa: vnde ars agriculturæ naturæ imitatrix, vbi terra vltra modum ambientis calore fuerit exsiccata, deductiones riuorum, & agrorum irrigationes adacta necessitate cogitauit. Atqui si puram aquam terræ conspergas, nihil aliud quàm lutum efficies alendis stirpibus ineptum, atque minimè accommodatum: singula autem legumina, vel arborum fructus, haudquaquam lutum sunt, sed aerem, & ignem etiam participant, quę per se tota inuicem temperātur. In terra igitur, quæ à nobis percipitur, si congruum gignendis, & nutriēdis leguminibus

nut-

nutrimentum, fructibus ue est futurum, crassioribus prædictis terræ, & aquæ naturis, duas reliquas contrarias, aeris, & ignis inseri est necesse, atque temperari. Sic nec pisces alit aqua syncera, nisi, quæ terræ, aeris, & ignis simul est particeps. Nec ob id sibi contradicit Galenus, qui isthæc mundi elementa, quæ sensu percipiuntur, citatis à me verbis permista, & impura nuncupat, cùm ipsemet paulò infra, terram, ignem, aquã, & aerem, prima esse, & simplicissima, communiaq; rerum omnium elementa profiteatur, ex quibus reliqua omnia componuntur: cùm duplicia intelligat elementa, alia quidem elemẽtata dicta, quæ à puris, & simplicissimis procedunt, alia verò simplicissima, & pura, quæ nullam admittunt mistionem, & verè elementa sunt, terram inquam, aquam, ignem, & aerem, in sua natura considerata, sine hoc quod à nobis percipiãtur, de quibus Hippocrates dixit in progressu sui operis de hominis natura, omnium, quæ in mundo sunt, verè esse lementa, & in ea tandem omnia resolui, & finiri ad idem, vnde vnumquodque fuit constitutum. Et Galenus in principio commentarij eiusdem libri, verum elementum in aliud elementum nõ posse diuidi, affirmat: veluti apud grammaticos, simplices, ac primæ literę, non diuiduntur in alias more syllabarum: huius enim syllabæ, mo, diuisionem facere possumus in literam m, &, o, quæ sua elementa sunt: rursus, verò, litera, o, quia elementum est syllabæ, diuidi non potest ampliùs, cùm simplicissimum, & purissimum sit. Ad hunc modum corporum generationi, ac corruptioni obnoxiorum, quatuor censentur elementa purissima, aer, ignis, terra, & aqua, quoniam vnumquodq; ipsorum, in plures species amplius haud secari potest. Omnia enim genita fiunt ex calido, frigido, humido, & sicco, siquidem clarum est vnumquodque horũ genitum esse ex quatuor primis, quæ facta denominatione à qualitatibus, humidum, & siccum, & calidum, & frigidum nuncupamus, propria autem nomina substantiæ ipsorum sunt, ignis, vel aqua, vel aer, vel terra. Perspicuum est enim (vt Galenus refert) quod vocat Hippocrates elementum, à qualitatibus simplicibus, & immi-

1. de elemẽtis cap. 5.

immiſtis: quando ſumma caliditas eſt in igne: quomodo & humiditas in aere: frigiditas autem in aqua: ſiccitas verò extrema vnà cum denſitate, & frigore, in terra. Hæc enim elementa ſummas habent, & impermiſtas qualitates, ex quibus mutuo temperatis omnia media corpora generantur, & miſcentur, quæ à vincente, non verò propriè, appellantur tum calida, tum frigida, tum humida, tum ſicca. Qua ratione manifeſtum eſt, alia propria, & perfectiſſima appellari ab Hippocrate, Galeno, Ariſtotele, alijſque peritiſſimis medicis, atque philoſophiæ prçceptoribus, elementa, quæ impermiſta, & ſimpliciſſima ſunt, & à nobis ſenſu non percepta: alia verò impropriè ſic nuncupari, nempe permiſta, & impura, vt ſunt ignis, aer, terra, & aqua, quæ à noſtro ſenſu percipiuntur, & potius elementati, quàm elementi, nomē merentur: dum enim reſoluuntur, in vera, & propria elementa reſolui debēt, quia verè miſta ſunt: licet elementa etiam nuncupentur reſpectu rerum magis miſtarum, quæ ab ipſis componuntur, & quia magis accedunt ad primorum elementorum naturam, quemadmodum prima epiſtola expoſuimus, & clariùs demonſtrat Galenus commentario citati libri de hominis natura, dicens, elementalia corpora ex ſe inuicem nutriri, quia exactum elementum potius mente concipitur, quàm de per ſe reperiatur, & exiſtat: quod verò fere idem illi eſt, vnum quoddam eſt eorum, quæ ſubſunt vocata elementa. Si enim mente conceperis, aquam euadere exquiſitè humidam, frigidamque, iam iam deſinet eſſe aqua, illico enim gelaſcet, ac ſiſtetur, neque amplius fluet: & ſi terram pariter mente conceperis prorſus ſiccam & frigidam eſſe, eiuſmodi corpus durius erit adamante: & ſi euadat talis, generatio ſtirpium ceſſabit: ceſſante verò ipſa, corrumpetur animantium alimentum, & ſi ipſum corrumpatur, animantia prorſus peribunt. Si igitur elementum ſiccum, frigidumq;, non abſolutè, ſed ſecundùm exuperantiam intelligatur, & terra quidem in mundo dicitur eſſe ſiccum, & frigidum corpus, & humidum aqua, imo & ipſe ignis nonnihil ſubſtantiæ aereæ participat, quemadmodum, & fumoſæ: quini-

quinimo certum est, quòd & is ad sui nutritionem indiget humore: id quod indicant lucernarum flammæ. Desine igitur dicere, impuritatem illam corporis huiusmodi simplicitatem, atque primitatem non amouere. Neque abhorret, aut refragatur nostræ sententiæ vniuersa (vt dicis) peripateticorũ schola, quæ ab Aristotele primo de generatione recepit, insensile nullum esse naturale corpus: nam neque ipse negauit, neque nos negamus simplicissima, & purissima elementa suapte natura sensibilia esse corpora, quæ tamen ex parte nostra potiùs mente cõcipiuntur in sua puritate, quàm vt sensu percipi possint. Neque cogimur fateri locum non habere, esset enim id contradicere non modo Aristoteli quarto libro de physica auscultatione à te citato, verùm vniuersam philosophiã destruere: imo ingenuè cõcedimus, & locum habere, & infra cœlum esse, à nostro tamen sensu posse percipi negamus; cum mundi vniuersitati conueniret, vt conseruari posset, statim quod genita fuere elementa purissima, & simplicissima, inter se inuicẽ commisceri, ita vt vnum reperiri à nobis non posit, quin alijs sit commistum. Et hoc modo composita hæc nostra, & impura, atque commista vocata elementa, ignis nempe, aer, aqua, & terra, alia purissima, & simplicissima, cum quibus maius habent commertium, representant, & æmulantur, & in quouis eorum reperiuntur purissima elementa, quæ ipsorum compositionem, & mistionem ingrediuntur. Vt in terra, quam degimus, & elementum vocamus, simul cum ipso elemento terreo purissimo, & simplicissimo, existit aer simplicissimus, & ignis similiter, atque aqua, & ex his mutuo commistis fit nostrum mistum terreum vocatum elementum, aut potius elementatum. Idem de reliquis dicendum, quę mista, & impura sunt elementa: & improbè imperares in quo vis horum seorsum aquã, vel ignem, vel terrã, vel aerem in sua puritate, & simplicitate ostẽdere, simile enim esset, ac si peteres, (vt Galenus inquit) in tetrapharmaco medicamento, siue ceram, siue picem, siue adipem, siue resinam seorsum demonstrari: nam & si ostendere nequeam, non ob id negandum ipsum ex hisce compositum esse.

Commentario libri de natura humana.

esse. Habent igitur locum syncera elementa eundem cum impuris, & non synceris vocatis elementis. Quod si contendas, violenter contineri, dandumque esse locato proprium secundùm suam naturam locum: fatebimur naturam potuisse mundi elementa seorsum purissima, vti & cœlum collocare, quid igitur illa esse prohibet, si esse possunt? Ad vniuersi medium, terra simplex esset collocanda, grauissima, siccissima, & omnis humoris expers, & ignis leuissimus, ardentissimusque, ad cœli concaua interioremque faciem, medijs autem spacijs interiecta (aer nempe, & aqua) eo in loco, purissima, & simplicissima essent seruanda, quo extremorum confusione minimè misceri possent: quia tamen omnia adinuicem miscentur, & temperantur in his mistis, & impropriè dictis elementis, inde est quod Galenus, purissimum elementum potius mente concipi, quàm reperiri, affirmet: & Plato, atque Ficinus eius interpres (quem tu non tanti facis) impura, & non syncera elementa isthæc esse asseruerant: quorum æmulari exopto negligentiam, potiusquam eorum, qui tuæ sententiæ inuentores, aut sectatores sunt, eximiam diligentiam. Si eorum enim auctoritates (vt fateris) concludunt, impura esse mundi elementa, & non syncera: mista etiam ab alijs prioribus, ac simplicibus necessariò concludent. Vinum enim purum, & syncerum verè, & propriè appellamus, cùm nihil suæ naturæ contrarium illi commiscetur: impurum verò, & non syncerum, cùm aquæ, alteriue liquori permistum est: & puram omnes medici bilem vocant, atq; synceram, quæ alteri humori est impermista, impuram verò, atq; notham, quæ alterius humoris simul est particeps: similiter & quodcunque nostrorum elementorum per aliorum mistionem impurum fit. Et eam ob causam cùm Galenus libro de ptissana optimam eligens aquam ad ptissanæ præparationem, eam talem esse affirmet, quæ substantia, gustu, olfactu, & colore probatur, ita vt nullam alienam qualitatem præse ferat, scilicet vt neque dulcis, nec salsa, non acida, non acris, nō male olens, aut putrida existat, vel omnino aliquam adscititiam qualitatem possideat, sed omnis penitus expers sit *Cap. 2.*

qualitatis aduentitiæ, aut mistionis cuiusuis rei, quæ gustu, aut olfactu deprehendi possit, tandem subiungit natura sua nõ esse synceram, quemadmodum nec vllum quidem aliud ex sensibilibus hisce elementis. Quibus vtiq; verbis satis manifestum est, Galenum voluisse nostram hanc aquam, quantumuis purissimam, & alienæ qualitatis expertem, sua natura synceram non esse, quia alijs elementis permista est, cum subiungat, talem aquam frigidam, & humidam, ac propriè aquã meritò nuncupari: eam verò, quæ mistione alicuius alterius extrinsicæ, aut substantiæ, aut qualitatis, fuerit adulterata (qualis est bituminosa, sulphurea, nitrosa, aut aluminosa) tantùm à propria aquæ natura recedere, quantùm fuerit adulterata. Propria igitur aquę nostrę natura, cùm misturę aliorum elemẽtorum sit particeps (etiam si non extrinsicę alterius substantię, aut qualitatis) meritò impura, haud syncera, & permista dicetur. Eademq; est ratio de reliquis elementis: si enim aqua, extrinsicæ qualitatis, aut substantiæ expers, adhuc impura, & minimè syncera est, ergo intrinsicæ substantiæ aliorum elementorum, & qualitatis mistione, impura, & permista dicetur. Quod enim purissima dentur elementa, ac simplicissima illa, quæ mente potiùs comprehenduntur, quàm sensu, ita apertè comprobauit Aristoteles in libro de generatione, & corruptione, vt demonstratione alia opus non sit: esse verò natura sua miscibilia, ex his quæ eodẽ libro de mistione pertractauit, manifestum est. Habent enim corpora ad mistionẽ idonea, cùm, & facilè comminui, & comminuta, misceri, & per se tota adinuicem suis contrarijs qualitatibus alterari, & contẽperari possint, & tandem vniri: & eodem authore, nihil aliud mistio est, quàm miscibilium alteratorum vnio. Si igitur fateris, (vt omnes philosophi in confesso habent) omnĩa mundi mista ex quatuor simplicissimis elementis inter se commistis fieri, necessariò concedas oportet, nostram hanc aquam, terram, aerem, & ignem, quæ mista esse comprobaui, verè ex quatuor simplicissimis elementis cõmisceri, & fieri, imo faciliùs, & immediatiùs, quàm reliqua mista corpora, quæ cum composita sint, magis à

dictis simplicissimis elementis distāt. Neq; ob id necessariȩ sunt plures qualitatum combinationes, quàm quatuor illæ compatibiles ab Aristotele propositæ, cùm per has resultent quatuor prima, & simplicissima elementa, & postea ex his per variā commistionem fiant omnia mundi mista, inter quȩ reputātur aer, aqua, ignis, & terra, quæ cùm immediatiùs ex purissimis conficiantur elementis, magis reliquis simplicia dicuntur, & purorum referunt magis naturam, cum quibus in modo mistionis maius habēt commercium, & familiaritatem: & hinc est quod illis purorum, & impermistorum nomina imposita sint, licet permista, vt reliqua alia, quæ sub cœlo sunt, à nostro sensu deprehendantur. Vera, & purissima, atq; simplicissima elementa ex elementis veris, & purissimis, secundùm partem (vt dicis) fiunt, merito contrariarum qualitatum, cū ita inter se mutuo agunt, & patiuntur, vt victum, in vincentis naturam transmutetur: id autem propriè generatio est, & non mistio. Dicentur verò eadem elementa misceri, & verè mistum aliquod corpus constituere, quando inter se secundùm minimas partes comminuta, coniuncta, vnita, & mutua suarum qualitatum actione, & passione contemperata remanent, sine hoc quod aliud ab alio vincatur, & superetur, & in contrarij naturam trasmutetur: quomodo in theriaca, quæ compositum, & mistum est medicamentum, simplicia, quæ ipsius mistionem ingrediuntur, ita seruantur, vt alterum ab altero non superetur, & vincatur: quinimo in minimas partes comminuta, coniuncta, & vnita, ac mutua suarum qualitatum actione, & passione temperata, verè miscentur, & resultat mistum medicamentū theriaca dictum. Par est in simplicum elementorum mistione ratio, dum isthæc mista vocata elementa constituunt, quæ elementa potiùs dicuntur, & sunt, ne elementi nominis æquiuocatione deinceps capiaris. Fateris mistionem, vnionem quidem esse miscibilium, idest, eorum, quæ actu facilè miscentur, non autē eorum, quæ misceri possunt, non tamen miscentur: subiungis deinde, & si misceri elementa possint, dum animalia, stirpesq; formantur, non tū misceri dum inuicem generantur, & fiunt:

Lib. de generatione.

quasi dicas, in stirpium, animaliumq; formatione, quæ maxime distant ab elementorum natura, misceri quidem elemẽta, in aquæ verò nostrę, aeris, terræ, aut ignis constitutione, quæ magis ad illorum naturam accedunt, non misceri. Eadẽ igitur elementa, eadem ratione sumpta, & considerata, misceri, & nõ misceri dicentur: quod implicat cõtradictionem. Alia enim est ratio, dum inuicem generantur, & fiunt secundùm ipsorũ partes purissima elementa, alia verò, dum commiscentur inter se ad constitutionem alterius rei à quouis eorum diuersæ, vt est quoduis elementorum, quæ impropriè, & per quandam similitudinẽ elementa nuncupamus. Sed dicis adhuc isthęc non mista esse, immo natura sua simplicissima, adinuicem tñ per actionem mutuam impurificata: quod mistionẽ non addit, sed prę sentiam duntaxat alterius rei in ipsis, quæ aut simultas, aut additio quędam, aut vnio est. In quo maxime tanti philosophi lapsum admiror, qui dum mistionem elementorum in quouis vocato nostro elemẽto vis subterfugere, eorum coniunctionẽ, modò simultatem, seu contiguitatem, modò vnitatem appellas: & tandem concludis, elementorum partes in aquæ, aut terræ (quam voco) mistione, esse contiguas, quoniam earum vltima sunt simul, dum in eodem loco adsunt, mutuo contactu, transmutationem (vt dicis) quęrentes, essent igitur separabiles, quę enim simul sunt separari possunt, quia earum vltima non faciunt vnum: & hoc modo in aqua nostra pars elementi terrei separaretur vbi velis, similiter & pars ignei, & aerei, quod fieri non posse demonstrauit Galenus, & sensus ipse manifestè docet: nunquam enim fiet, vt ab aqua aerem, terram, ignemue amoueas. Satiùs igitur foret, si alteram, quam proposuisti, partem concluderes, quoniã magis ad veritatem accedit, dicens, in aqua reliquas elementorum partes vnitas reperiri, & sic vnã aquam constitui ex pluribus elemẽtorum partibus vnitis. Sed adhuc vnitas hęc non sufficit, nisi per exactam comminutionẽ dictarum partium, & mutuam alterationem, vnio, & attemperatio fiat. Et sic naturale corpus, quod aquam nuncupamus, & sensu percipimus, vnum quoddam est pręter quatuor, ex ipsis

Commentario libri de natura humana.

tamen

tamen compositum, & commistum: veluti medicamentum tetrapharmacum, quod neq; ceram, neq; resinam, neq; picem, neq; adipem, sed quid aliud vnum preter hec ex omnibus attẽperatum dicimus. Nec huic sententię refragatur Empedocles à te citatus, qui de purissimis, & simplicissimis, & impermistis loquens elementis, per inimicitias esse, atq; seruari dicebat, cum ipsemet (vt Galenus refert) naturam compositorum corporũ (qualia sunt aqua, & reliqua vocata elementa, quę sensu perci piuntur) ex quatuor elementis immutabilibus, atq; primis cõstare opinetur, ad eũdem modum inuicem admistis, ac si quis, vbi leuigauerit exactè, ac redegerit in pollinem ærugiṇem, & chalcitim, & cadmiã, & misi, ita misceret, vt non liceat aliquod ipsorum sine alio tractare. Non enim video cur purissima elementa in stirpium, animaliumue corpore quouis constituendo, vniri, ac misceri possint, in aquę verò nostrę, aut terrę corporibus, neq; possint, neq; valeant? Fateor ex elementis simplicissimis simplicissima fieri elementa secundùm partes, non mistione, sed actione reciproca, quando victũ in uincentis naturam conuertitur, & tunc genita, nõ mista dicuntur: si verò eadem elementa, cùm sua natura miscibilia sint, ita misceãtur, vt eorum nullum alterum conuincat, & in se conuertat, proculdubio mistum corpus constituent, quale est aqua, aut terra: quoniam seruãtur ipsa elementa, & nullum eorum perit, imò mutua actione, & passione attemperantur, & ex illis mistũ resultat. Quòd & si alia ratione, vt dictum est, aqua, & terra elementa nuncupantur, non ob id desinunt verè mista esse. Alia quamplurima (vir doctissime) ex Aristotelis, Hippocratis, & Galeni mente in tua epistola proposuisti, quæ, cum nostræ non contradicant sententię, libenter admittimus: cui subscripturos spero omnes, qui illorum veram sequuntur doctrinam. Vale, & quę scripta sunt, syncero, atq; beneuolo animo, quo te diligo, recipias.

Commentario libri de natura humana.

ANTONIVS ALVAREZ

EXCELLENTI VIRO IOANNI BERNARDINO LONGO PHILOSOPHO, atque medico præstantißimo. S. P. D.

Epistola septima.

ANIMALEM FACVLTATEM EX CEREBRO, tanquam è ſuo fonte, per neruos ab eo propagatos, vitalem ex corde per arterias, naturalem verò ex iecore per venas in omnes corporis partes diſtribui.



VM præſente Illuſtriſsimo Comite de Haro incidiſſet ſermo de principe animæ facultate, eamq; in corde reſidere, ſicut & uaturalem, atq; vitalem cũ Ariſtotele aſſeruiſſes, laude potiùs (Bernardine doctiſsime) quàm vitio te dignum putaui, quòd vt antiquus philoſophi interpres, nõ modò in Neapolitano gymnaſio, verùm & coram tanto principe, eximioq; verę philoſophię amatore, hac in re illius ſententiam tueri voluiſſes, affirmãs omnes dictas facultates cor ipſum pro domicilio habere, & ab eo venas, arterias, atq; neruos principium ſumere, per quæ, velut per canales quoſdam, reliquis noſtri corporis partibus impartiũtur. Cæterum vt doctiſsimum medicum, & in Galeni doctrina maximè verſatum non potui non accuſare, quòd tenaciter adeò Ariſtotelis ſententiæ adhęreas, vt Galeni, omniumq; ferè medicorum contemnas, qui in hepate præcipuè naturalem facultatem ineſſe, ab eoque venas ortum ducere, vitalem verò in corde, vnde etiam arterias generari, animalem autem in cerebro, ex quo neruos quoq; trahere originem affirmant. Quia tamen Ariſtotelis, & tuæ ſententię examen longiorem poſtulabat diſputationem, conſultò

præ-

prætermisimus, simul polliciti, scriptis me Galeni, atq; medicorum ferè omnium sententiã defensurum, & Aristotelis, atq; tuam impugnaturum: te contra, Galeni decretum, ac eorum, qui illius sequuntur sententiam accusaturum: & pro Aristotelis doctrina, vt philosophus, & medicus, propugnaturum. Ne autem incuser, quòd dictam disputationem diutiùs distulerim, sumam nostri muneris principium à vitali facultate, cuius origo, non modò ex Aristotelis, sed ex communi omnium philosophorum, ac medicorum sententia, cor est. Quemadmodum enim in animali duę considerantur facultates, quarũ altera naturalis, altera animalis dicitur: sic etiam tertia reperitur vitalis nuncupata: quam animali etiam inesse inde colligitur, quòd perpetuo, & constanti motu cordis, & arteriarum moueatur, cuius assiduitate continua spirituum vitaliũ in animali procreatio fit. Is autem continuus motus facultatis animalis actione fieri nequit, cuius motus voluntarius est, & tandem defatigatus ingrauescit, donec intermittatur, & quiescat per temporis interuallum: motus autem cordis, & arteriarum neq; in animalis potestate est, neque eius imperio obediens, quinimo sic continuatur citra vllam intermissionem, vt quauis violenta causa superueniente interrumpi nequeat. Multominus dictus continuus cordis, & arteriarum motus à naturali facultate gubernatur, quæ corporis nutritioni preęst, & adeò manifestos motus, atq; euidentes in animali, vel planta ostendere nequit. Neq; natiuus calor eorum motuum author est, cum enim simplex qualitas sit, motus efficiens causa esse non potest: si enim fuisset, idem cum nostra natura esset. Est igitur in vitali calore cordis certa facultas huius continui motus effectrix, vitalis nuncupata, multis differens à naturali, & animali. Omnes enim hæ tres facultates inter se differunt, & realiter seiunctæ in animali reperiuntur. Ex eo autem colligi potest, quod earum quælibet lędi, aut aboleri potest, alijs saluis manentibus: vt in ossibus, aut cartilaginibus cõtingit, quæ ex propria natura, cùm firmam, & stabilem compositionẽ habeant, nutriuntur, & viuũt beneficio facultatis naturalis, & vitalis,

Vitalis facultas.

Facultas animalis, naturalis et vitalis, realiter distinguũtur.

A̅ālis facultas deficit re

liquis nõ laborãtibus.

talis, quę in eis sunt: carent tamen sensu deficiente sensitiua. Similiter ægritudine dicta Lethargus, sensus, & motus torpòre animal afficitur, totaq; animę sensitiuę virtus stupida fit, reliquis intactis permanentibus. Quando verò pars aliqua cõuulsione laborat, sensu, & motu destituitur, facultate naturali, atq; vitali bene habentibus, quæ non permittunt partem ipsam marcescere. Sic igitur multis modis sensitiua virtus, aut minuitur, aut deserit partẽ cui inerat, reliquis nullam offensam recipientibus. Pari modo contingit naturalẽ facultatem lędi, reliquas verò incolumes permanere. In his enim, qui atrophia laborant, nutriendi facultas patitur lęsionem ex nutritionis errore, sensitiua; ac vitali sanis existentibus. Quinimo aliquãdo euenit, alicuius particulæ nutritionem, & sensum deperdi, vita permanẽte, cùm consumpto humido omnino exsiccatur: tunc enim quę remanet vitalis facultas partem conseruat, prohibetq; ne sic labefactata tandem putrefactione vitę contraria omnino dissipetur, ac pereat. Vitalis enim virtutis actio nõ cõtendit, vt alimentum corpori pręstet, seu vt sensibilia sentiat; sed ad vitam potius conseruandam, atque tuendam.

Naturalis facultas læditur, reliquis nihil patiẽtibus. Nutritiua, & sensitiua virtus depẽditur, vitali manente.

Simili ratione vitalis facultas lęditur reliquis nihil patientibus. Cùm enim quis pestifera febre laborat, & cordis dolore, vomitionibus, atque animi deliquijs affligitur, ita vt pulsus debilis, & in imo latitans vix percipiatur, nemo dubitabit vitalẽ cordis facultatem malè esse affectam, reliquis aut nullam, aut minimam, & ferè insensibilem lęsionem patientibus. Quemadmodum enim alia morborum genera alias facultates inuadũt, sic pestilens morbus in vitalem virtutem irruit, eamq; debellat & vincit. Et hoc modo, quęlibet dictarum trium facultatũ potest laborare, alijs aut nihil, aut parum patientibus. Quod quidem à me dictum est, vt iam intelligas harum quamuis suũ locum, & domicilium ab alijs distans, & longè differens obtinere. Nulla enim virtus animæ corpori ligatę sine auxilio instrumenti operatur, ideoque quando animæ instrumentum, vel sedes, & domicilium malè afficitur, eius quoq; facultatẽ malè habere necesse est, ipsiusq; actionem impediri. Vnde sequitur, si secun-

Virtus vitalis læditur alijs illæsis.

si secundùm Aristotelis, & Auicennæ doctrinam (quam, vt verissimam, aduersus Galeni, & peritissimorum medicorum sententiam, insequeris) cor sedes est, & domicilium trium oĩum animæ facultatum, eas ex ęquo pati, illo patiente necesse esse. Contrarium tamen euenire videmus, siquidem in febribus pestiferis, & alijs ex venenosorum genere morbis, vitalis cordis facultas (vt diximus) malè habet, naturali, atq; animali, absq; notatu digna læsione suo fungentibus munere. Quamobrem manifestè sequitur prædictas tres facultates nõ solùm essentia, sed locis etiam differre, & separari. Cum itaq; in eadem sede esse nequeant, oportebit inuenire cuiusq; proprium locum, & domicilium: quod facile fiet, si operationes, & effectus cuiusuis earum singulatim perpendamus: conspicientes enim cibaria, quæ ingeruntur, in ventriculum descendere, ibiq; primam recipere elaborationem, deinde verò per meseraicas venas (quæ nullum cum corde habẽt commertium) ab hepate trahi, suaq; virtute concoqui, & tandem in sanguinis naturam conuerti corporis substantię nutriendæ idoneam, statim intelligimus hepar naturalis facultatis iure optimo sedem esse. Pari modo cerebrum animalis facultatis propriam esse domum ex eo deduci potest, quòd somno comprehensum, & ligatum, exteriores sensus comprehendit, & ligat, adeò vt à consueto sentiendi, & mouendi munere fere desistant: à somni autem vinculis dissolutum exteriores sensus soluit, & ab eodem carcere vendicat, qui tẽpore vigiliæ surgunt, & cõsuetis actionibus se exercent. Quo fit vt apertè colligamus, cerebrum externorum sensuum esse commune principium: in eo igitur principem animę facultatem sentiendi, & mouendi contineri est necessarium.

3. de partibus animalium ca.4. & Aui. fen. prima primi doctrina 6. c.1

Tres animæ facultates locis differunt.

Hepar sedes est facultatis naturalis.

At cor sedem esse vitalis facultatis ex eo manifestũ est, quòd dormiente animali continuò agitatur motu, nunquã nec momento quidem quiescens, aut à suo munere desistens, eiusque motu arteriæ moueantur, suoque vitali calore omnes totius corporis partes vitam suscipiant. Id autem clariùs euadet, si perpendamus, animalis quoduis genus naturalem, & nutrientem facultatem habere communem cum plantis, licet maiori

Naturalis facultas in animalibus perfectior & dignior quã in plantis.

cum dignitate, & perfectione in animali reperiatur. Quandoquidem plantę exugunt è terra impurum, sibi tamen conuenientem, ac familiarem succum, eoque statim nutriuntur animal verò non prius à cibarijs nutrimentum succipit, quàm plurimis transmutationibus sit præparatum. Hac ratione olera, fructus, panis, caro, & similia, prius quàm alimentũ animali præstent, plurimas subeunt mutationes, donec in sanguinẽ conuertantur, & is rursus in corporis substantiam. Quare cùm in animalibus tot modis fiant coctiones, quibus alimenti eam acquirit perfectionem, quam in plantis (quę facili, & prompta coctione, & rudi conuersione nutriũtur) acquirere nequit, eam ob causam necessum fuit in animalibus nutritionem fieri perfectiore, ac præstantiore naturali virtute, quàm in plantis aut ex eo, quod in illis perfectioris generis sit, aut (quod magis credendum) quia aliunde maiorem suscipit vim. Cuius rei gratia, cor, non plantis, sed perfectis animalibus fuit concessum vt influxu sui caloris, atq; viuificantis virtutis, in vniuersas totius corporis partes (maximè verò in hepar, & cerebrũ) naturalis facultas maiorem vim succipiat. At plantę solùm naturę ope viuunt, vnamq; nutritiuam virtutem obtinent natiuo calore illi, velut materia quadã, subiecto, & per vniuersam plantæ substantiam diffuso, fulcitam. Qui non facilè efluit: velut ostendũ auulsi, aut incisi ab arboribus rami, qui aut per aliquod tẽporis interuallũ vita fruuntur, aut alijs arboribus implantati vitam resumere, & fructus producere valent. Eodem modo natiuus calor in imperfectis, & exeaguibus animalibus, per eorum corpora diffusus, reperitur: qualia sunt ea quæ conchis obducuntur, & sine vllo progressiuo motu scopulis adhęrentia, à loco suo non mouentur: similiter & quæ ab vna in aliam partem locali motu, atque voluntario progrediuntur, velut formicæ apes, & omne genus insectilium, cuius partes incisas, & separatas moueri videmus. Isthęc autem animalia omnia cum, qui habent paruum suæ vitæ calorem per vniuersum corpus æque disseminatum, possident: & nulla eius sedes cordi collata reperitur, à qua, sicut ab scaturiente fonte, fiat in alias partes influxus

Cor pfectis dũtaxat animalib⁹ fuit concessum.

xus

xũs. Si enim fieret, nec prędictorum animalium partes incisæ viuerent, nec moueri possent: vt contingit in perfectorum animalium partibus, quę cum incisæ, & separatę sint, statim moriuntur. Quod euidens argumentum est, non ex se, neque ex suo proprio calore (vt plantæ & earũ partes) viuere: sed aliunde adueniente, qui vltra propriam, & innatam, atque naturalem hepatis facultatem, aliam vitalem nuncupatam à corde, velut à propria sede, & domicilio, per totum animalis corpus defert. Hæc eadem vitalis facultas auxilium animali pręstat, suppeditans materiam, & pabulum, vnde animalis spiritus generetur, & influens suam vitalem vim, cuius ope ad peragendas suas actiones excitetur, qua deficiente imbecilles, tardæ, & ociosæ forent. Cuius rei gratia eo modo, quo hepar principium est, & sedes naturalis facultatis, & cerebrum animalis, sic decuit cor vitalis virtutis originem, & domicilium constituere. Manifestum siquidem est, cerebro vehementer concusso, atque compresso, sensum & motum statim amitti, & ob varias, quas patitur ægritudines, animal apopleticum, epilepticum, melancholicum, aut phreneticum fieri, vel alijs corripi malis, quibus cùm afficiatur, motus, & sensus, & pręcipuè imaginandi, raciocinandi, atque memorandi actiones impediuntur, & tandem medemur remedijs cerebro applicitis, tãquam principio, origini, atque fonti vnde animalis facultas manat. Pari modo hepate laborãte, difficulter nutritur corpus, modò siccitate, & marcore cõsumptum, modò corrupto humore tumefactum, ad cuius medelam hepati remedia applicantur, vt naturali, atque nutritiua virtute roborata, cuius est principiũ, & origo, in naturalem statum reducatur. Similis est ratio quãdo quis animi deliquio, vel subito viriũ lapsu afficitur, tunc.n. cordi remedia conueniunt, tanquã membro in quo residet vitalis facultas, quę pręcipuè in dicta affectione patitur, qua deficiente, reliquæ lege consortij in defectum trahuntur. Concluditur igitur ex proprijs actionibus, & curandi modo, naturalem, ac nutritiuam facultatem in hepate, animalem, seu sensitiuam in cerebro, vitalem verò in corde sedem habere.

Cor vitalis facultatis origo.

Nanq; si omnium facultatum (vt dicis) principium, & propriũ domicilium est cor, cùm malè habent, ipsi (vt peritũ decet medicum) tanquam illarum fonti, & origini remedia applicares, & ab aliorum doctissimorum virorum sententia, qui medicam artem exercent, in curandi methodo deuiares, sicque phreni tide laboranti oxyrrhodinum cordi, non cerebro imponeres. Similiter atrophia affecto, cordi, non hepati remedia applicares: quod tamen nunquam fecisse in dictis passionibus, medici, qui vnà tecum ægrotantium curam habuerunt, attestãtur. Præterea si vias, atque canales ad dictas facultates deferendas deseruientes velis animaduertere, inuenies profectò venas ad naturalem facultatem, neruos ad animalem, arterias ad vitalem esse destinatas Cum verò animæ pars, atque eius virtus ibi debeat collocari, vnde suum oritur instrumentum, eiusq; viæ nascuntur, & deriuantur, & apertissimum sit venas ab hepate, neruos à cerebro, arterias à corde oriri, manifestissimũ itidem erit, iecur naturalis facultatis, cerebrum animalis, & cor vitalis esse sedem. Quemadmodum enim in arboribus, & omni plantarum genere rami maiores minorum principia sunt, & truncus, qui omnium maximus est, ad inferiora suas propellit radices, ad superiora verò in ramos diuiditur, qui rursus in minores partiuntur, & illi in alios minutiores, quousque in minutissimos deuentum sit, & ex communi omnium sententia truncus in plãtis principium est facultatis naturalis, quæ à terra alimentum trahit, & in reliquas partes distribuit: pari ratione venari possumus, quod sit venarum, neruorum, & arteriarum principium. Videmus enim cauam venam, qua parte cordis dextrum ventriculum ingreditur, minorem habere amplitudinem, quàm dum egreditur à gibba hepatis regione: vnde intelligitur primam venarum originem ab hepate esse. Quod confirmat vena portæ à caua sede exorta, quæ in diuersas partes protensa in plurimas venarum propagines partitur, quarũ quædam in ventriculum, quędam in omentum, quędam verò in mesenterium inseruntur: cum quibus cor nullum habet cõmercium. Sic igitur plantarum exemplo, sicut media pars inter

Venę oriuntur ab hepate.

Vena portæ à caua iecoris sede exoritur.

ter truncos, & radices existens, truncorum, & ramorum principium est, ita iecur venarum principium censeri debet. Ex quo intelligi potest eam partem, quam in plantis Aristoteles cordi comparauit, rectiùs hepati, quàm cordi assimilari, in qua residet naturalis virtus similis ei, quæ in hepate sedem habet. Eisdem rationibus ostenditur, neruos non à corde, sed à cerebro potiùs habere ortum. Si enim cerebri substantiam, & structuram consideres, & eam, quę in neruis est, mente perpẽdas, statim eos à cerebro trahere originem comprehendes: cum orta suis principijs similia sint, & appareat cerebri substantiam cum septem paribus neruorum ab ea propagatis, & cum spinali medulla, ac neruis ab ea exortis, maximam habere similitudinem, & eiusdem substantiæ esse: nisi quòd nerui velut rami ab ea producti, & vsq; in vltimam corporis superficiẽ extensi, propter itineris longitudinem, & locorum, per quæ transeũt, siccitatem, duriores, ac solidiores fiunt. Similiter per dissectionem constat spinalẽ medullam à cerebri posteriori parte oriri, & in sui principio ampliorem esse, paulatimque imminui, quò magis ab eo distat, ab eaque, velut ab arboris trunco, vtraque parte plurimos adeò manifestè oriri neruos, vt nemo sensus compos negare possit, omnes à cerebri substantia, vel immediatè, vel interuentu spinalis medullę, ortum habere.

Nerui oriũtur à cerebro.

At arterias à cordis sinistro vẽtriculo oriri notius est, quàm vt probatione indigeat, cum sensus ostendat magnam arteriã inde esse ortam, quæ velut truncus quiddam in plurimas partitur arterias per vniuersum corpus diseminatas, vitalemque vim deferentes. Et licet dictæ tres facultates substantia, subiecto, & loco seiunctæ sint, postquam in vno, eodemque corpore vniuntur, non omnino ab eo separantur: taliter enim ligatę reperiuntur, & eo modo adinuicem sibi famulantur, vt earum quęlibet sine aliarum ope in animali persistere non possit. Licet enim (vt diximus) cõtingat in aliqua corporis parte animalem perire facultatem, naturali, & vitali integris permanentibus, aut simul pereuntibus naturali, & animali, vitalem remanere: non inde sequitur in vniuerso animali id fieri posse, quod

Arteriæ oriuntur à corde.

Nulla triũ animæ facultatum sine aliarum ope in aĩale persistere valet.

quod dum viuit, necessario nutriri, & sentire opus est. Vitalis facultas reliquas perficit, & viuificat, & à naturali mutua ope alitur, ab animali verò motu pectoris, & pulmonum refrigeratur. Animali reliquæ materiam pręstant, vitalis verò per arterias diffusa seruat, & auget naturalem. Quo fit, vt omnes insolubili quoddam concentu sibi correspondeant, ita vt vna in vniuerso animali sine aliarum ope persistere nequeat, quinimo aliqua pereunte reliquæ pereunt. Quoniam verò varias, & separatas sedes habent, ex quarum læsione calor, spiritus, & facultatum substantiæ offenduntur, fieri potest quòd aliqua facultatum paruam patiatur lęsionem, reliquis illæsis permanentibus, quę si diutius perseueret, & augeatur, lege consortij alijs communis fit, donec tandem omnes dissipatæ, & victæ intereant. Quod tali ordine contingit, vt post eam, quæ primario est affecta, sequatur, quæ cum illa maiorem habet connexionem, atque familiaritatem, & vltimò, quæ minorem. Sicq; post animalis facultatis lęsionem statim vitalis in passionem ducitur, & post eam naturalis. Quando verò primò vitalis patitur, eam animalis sequitur, cui non modò materiam, sed viuificantem vim præstiterat, post quam naturalis in affectionem trahitur. At cum primario naturalis virtus læditur, statim in compassionem ducit animalem, & vltimò vitalem. Ratio enim, & experiētia docent, quemadmodum in paruis affectionibus aliqua facultatum læditur reliquis illęsis, sic in magnis eam primum perire, quæ primò afficitur, neq; omnes eodem in tempore interire, licet paulò post finiantur.

Nutritiua facultas ortus ordine prior est reliquis.

Quantum attinet ad ortus ordinem, nutritiua facultas prima est, deinde vitalis, & vltima animalis. Principatus verò primas tenet animalis facultas, deinde vitalis, vltimò naturalis, quæ ignobilior est, propterea quod communis fit plantis, quę respectu animalium viles sunt. At vitalis influens virtus animalibus solùm conceditur, quorum naturalem facultatem perficit, eiusque actionibus integritatem, vim atque firmitudinem præstat: quamobrem naturali præstantiorem esse nemo dubitat. Animali verò inferiorem meritò reputari inde

Animalis

constat

constat, quòd eius causa genita fuerit, & in eam, tanquam in finem, simul cum naturali facultate dirigatur. Preterquam quòd sentire, mouere, ratiocinari, contemplari, sapienter viuere, officia sunt animalis facultatis altioris ordinis, & dignitatis, quàm simpliciter viuere: sicque eorum effectiua virtus inter reliquas virtutes principatum tenet, & membrum, quod eius domicilium est, inter reliqua principalia primatum sibi vendicat. *facultas reliquis dignior.*

At ordine necessitatis, respectu actionum dictarum facultatum vitalis primum obtinet locum, quoniam non modò animali materiam præbet, sed eam simul, & naturalem suscitat, perficit, & tuetur, ad partes, quæ nutriuntur, sensuque, atque motu participant, vitalem spiritum, atque vim transmitttens. Naturales enim, atque animales facultates, quibus vitalis concurrit, & communis est, vitali deficiente, statim deficiunt, non è contra. Quamobrem respectu actionum vitæ, vitalis facultas reliquis prestantior reputatur. Sunt igitur in animali tria precipua membra, in quibus, tanquam in proprijs domicilijs, præcipuæ tres diuersi generis facultates resident, quibus animal gubernatur: altera quidem in cerebro, quam animalem, altera in corde, quam vitalem, & tertia in iecore, quam naturalem nuncupamus: & si vnicum duntaxat principale membrum cor esse cum Aristotele affirmes. *Necessitatis ordine vitalis facultas præstantior reliquis.*

Sed iam argumenta, quibus vt existimo, illius, ac tuam cōprobare sententiam credis, singulatim perpendamus, vt his dissolutis, veritas Galeni & Platonis (quam insequimur) magis elucescat. Primum autem, quod proponi solet, tale est. Vbicunque fieri potest, principium vnum esse quàm plura melius est, at à corde tres precipuæ facultates, quibus animal gubernatur, fluunt, igitur illarum est vnum principium, & vnicum duntaxat membrum precipuum. Huius autē argumentationis maiorem quidem concedimus, minorem verò, qua asseritur à corde tres precipuas facultates oriri, omnino negamus: quoniam superiùs satis probatum est, naturalem à iecore, animalem uerò à cerebro ortum ducere, & eam ob causam hepar, & cerebrum inter precipua membra reputari, & connumerari. *3. de partib⁹ animalium cap. 4.*

Sed

Sed instabis, hac ratione sequi, cerebrum magis nobile esse quàm cor, quod tanquam principalissimum, & nobilissimum in medio corporis natura collocauit, & tot propugnaculis mu niuit. Et nos etiam cerebri principatum, & maiorem dignitatẽ nõ negamus, quòd in eo resideat princeps animę facultas, prȩterquam quòd ab externis iniurijs, tenui, atq; crassa meninge, & durissimis capitis ossibus, atq; exteriore membrana pericraneum nuncupata, & pilosa cute, non minus quàm cor defendi tur. In elatiori autem atque nobiliori loco collocatur, quia decentius erat sublimem virtutẽ potius in sublimi, & excelso loco (qui caput est) quàm in sede media collocari. Est & aliud argumentum, quod in hunc modum posses proponere. In eo nẽ pe membro coniectari licet virtutẽ residere, à quo instrumenta deferentia illam virutem originem ducunt, sed ex corde nõ solùm oriuntur arteriæ, sed etiã venę, & nerui, per quæ omnes virtutes fluunt, cor igitur omnium virtutũ locus, & principiũ erit. Maior nota est, minorẽ verò inde probabis (& primò quidẽ de venarum ortu) quòd in illo membro sit prima venarum radix, & origo, in quo venę ipsæ finiuntur, at vena caua intrat dextrum cordis ventriculum, & in ipsum finitur, in corde igitur est prima radix, & origo venarum. Cæterum argumentatio non valet, non enim ex eo venæ ex aliqua parte oriuntur, quia in illam finiantur, cum plurimæ terminentur incutim, quæ ab illa originem non traxerunt: sed inde potius oriuntur, vnde principium delationis sanguinis est in vniuersas corporis partes. Et licet vena caua intret dextrum cordis ventriculũ, & in illius finiatur cauitate, non ex eo sequitur inde per eandẽ venam, tanquam ex trunco per multos ramos, sanguinem in corpus transmittere. Quoniam vt diximus qua parte ingreditur cordis ventriculum vena caua, non eam habet amplitudinem, quam dum egreditur à gibba iecoris parte: quamobrem in introitu, vel exitu cordis non potest reputari truncus venarum: Præterquam quòd sanguis in cordis ventriculo existens fere totus permeat per septum quoddam in sinistrum, vbi percolatus, & purior effectus elaboratur, & per magnam arteriã

in om-

in omnes corports partes transmittitur. Non posset autem dexter cordis ventriculus tantam sanguinis copiam procreare, quæ posset sufficere pro intromittenda sufficienti ipsius quantitate in sinistrum ventriculum, & pro alia extramittenda per omnes venas ad partium sufficiens nutrimentum.

Sed age, fingamus sanguinem (vt dicis) in corde oriri, & per venam cauam in corpus transmitti: id autem fiet quia dicta vena per totam cordis substantiam diseminatur, ita vt primò in maiores portiones, deinde in minores, & illę rursus in alias minutiores diuidantur, donec deuẽtum sit ad minutissimas, quibus mediantibus fiat tractio sanguinis ex omnibus cordis partibus vsq; in venam cauam, per quam postea in vniuersum corpus distribuatur: at ex anatome constat nullam fieri venę cauę in cordis substãtiam distributionem postquam ingressa est dextrum illius ventriculum, nõ igitur trahit sanguinem à corde, sed potius defert ab hepate in illius dextrum sinum, qui per septum percolatus in sinistrum fit materia apta generando sanguini, & spiritui vitali, qui postea per magnam arteriam ex ipso cordis sinistro sinu ortam in omnes corporis partes fluit. Adde quòd fętuũ, qui vtero gerũtur, dissectio manifestè ostendit, sanguinem ex iecore ad cor mitti, non ex corde ad iecur. Recipiunt enim alimentum fętus ex materno sanguine per vmbilicum, in quem subeunt vena vna, & arterię duę: vena recta tendit in hepar, priusquam deueniat ad cor, & arterię inserũtur in cor, antequam iecur attingant, ergo hæc constructio ostendit venas ex iecore, & arterias ex corde ortum ducere. Quod si his rationibus côuictus concedas sanguinem quidem in hepate generari, imperfectum tamen, & alendo corpori minimè accommodatum, eumq; cordi pręparare, quemadmodũ illi præparat ventriculus chilum: vt fatearis etiã est necesse, eas partes, quæ recipiunt sanguinem à vena caua pro sui nutrimẽto antequam ingrediatur dextrum cordis ventriculum, non verè nutriri, quod maximum foret inconueniens. Pręterea vt ventriculus chilo, ita etiam hepar sanguine, quem conficit, nutritur, & quod superest in alias partes per venas transmittit,

quibus commodum fit nutrimentum: quinimo ex hoc sangui ne, antequam ingrediatur dextrum cordis ventriculum, alitur cor ipsum per venam exortam à vena caua, quæ per extimam cordis superficiem in modum coronæ diuisa progreditur, & substantiæ ipsius nutrimentum præstat.

At de ortu neruorum, quod etiam à corde procedant inde argumentaberis, quia cordis substantia crassa est, ac dura, & plurimis neruis intertexta, ideoq; neruos ipsos à corde exortos duritiem ostendere, cum orta attestentur suis principijs: cerebrum verò quia molle sit, neruorũ principium esse non posse. Cæterum eadem ratione quisq; intelliget, neruos à cerebro ortum ducere, quia sua natura molles sunt: quod ostendũt septem neruorum paria, quæ in suo exortu mollissima apparẽt, & dum parùm à cerebro distãt: at qui longo tramite à cerebro sunt separati, nihil mirum quòd maiorem acquirãt duritiem, exsiccati à locorum per quæ transeunt calore. Præterquã quòd ex anatome cõstat nullos neruos à corde oriri, neq; in ipso reperiri, præter paruulum quendam à sinistro sexti paris neruo depromptum, & in cordis basim pertinentem, qui inibi mox in soboles capillorum modo gracillimas consumitur.

Sed instabis adhuc omnes virtutes à corde vt à prima radice, & fonte procedere, manifestari tamẽ in alijs membris, sicq; animalem facultatem in corde tanquam in radice esse, per cerebrum autem, & neruos manifestari: quemadmodum ex Galeni sententia videndi facultas in cerebro est tanquam in primo fonte, elucet verò in oculis, vt in instrumentis ad videndum accommodatis.

Ratio tamen hæc non conuincit, quia si animalis virtus manifestaretur (vt ais) in cerebro, & in corde esset velut in radice, cerebro obstructo corpus non redderetur immobile, & sensus expers, quia remanet sentiendi, ac mouendi facultas in sua radice: videmus tamen obstructo cerebro, omnes animalis partes sensu, & motu priuari, origo igitur facultatis sentiendi, & mouendi in cerebro est, non autem in corde. Præsertim cum obstructo corde, aut intercisis, vel cõclusis vijs à corde ad cere

brum

brum pertinentibus, tantum abest vt repente animalia sensu, & motu priuentur, vt non rarò plurima in sacrificijs, vel morte damnatis, preciso corde vociferari, aut currere visa fuerint, non est igitur cor animalis virtutis origo. Maximè quòd velut oculi priuantur statim videndi facultatis influxu, obstructa neruorum opticorũ radice, sic obstructo corde à quo (vt tua fert opinio) emanat animalis facultas, animal repẽte motu, & sensu priuaretur, cuius contrariũ experimentum manifestè docet.

Cæterum cùm neque vt philosophus, aut medicus cor animalis facultatis principium esse, & proprium eius domicilium conuincere possis, forsan vt theologus, ad theologiam velut ad sacram anchoram confugiens, id principis animæ facultatis domicilium statuere contendes, cum sacræ literæ in corde cogitationes esse profiteantur. At ego, nõ vt theologus, sed vt philosophus, atque medicus dicerem, materialiter principem animæ facultatem à corde procedere, quoniam spiritus vitalis à corde exortus, & in cerebrum ductus, materia fit animalis spiritus in cerebro procreati, à quo pręcipua animalis facultas ratiocinandi, imaginandi, atq; cogitandi fluere dicitur.

Hæc sunt (vir doctissime) quæ de proposita quæstione circa naturalem, animalem, atque vitalem facultatem, & cuiusuis originem, ac proprium domicilium proferre possum, Platonis, atque Galeni decretum confirmans, interimque expectans rationes à te conscriptas, quibus has nostras impugnes, & tuam, atque Aristotelis sententiam tuearis. Vale, & me mutuo amore prosequere.

EXCELLENTI VIRO IOANNI ANTONIO PISANO MEDICINAE IN NEAPOLITANA SCHOLA PROFESSORI.

ANTONIVS ALVAREZ S. P. D.

Quòd certißimum sit lienem craßiori nutriri sanguine, quàm hepar, si sanguinem melancholicum, quo lien nutritur, ad sanguinem, quo alitur hepar, conferatur: quòdq; à vitrea pituita dysenteriam generari impoßibile sit.

EPISTOLA OCTAVA.



ADMIROR sanè, Pisane doctissime, quod per multos annos magna cum discipulorum frequentia, & tuæ doctrinæ admiratione medicam artẽ edocens, medicinæ studiosis sanguinem, quo aliter lien, tenuiorem esse eo, quo hepar nutritur, asserueris; & quod maius est, coram Illustrissimo Comite de Haro, præsente Ioanne Bernardino Longo philosopho, atq; medico egregio, idipsum ex Galeni mente ausus sis affirmare, cum nullibi id clarè proferat, neq; medicis, aut philosophicis rationibus comprobari possit. Certissimum siquidẽ est, sanguinem in hepate, tanquam in officina quadam, generari, & à natiuo eius calore concoqui, dumq; perfectè concoctus est, probèq; in sanguinis substantiam transmutatus, suæ concoctionis duplex recrementũ (vti in vini, omniq; alia concoctione fieri cernimus) obtinere: vnum quidẽ crassius, quod veluti fæx sanguinis, & lutum censetur, atraq; bilis nuncupatur, & tanquam crassum, & iecori inutile recrementũ, per portæ venam in lienem ablegatum; alterũ verò tenuius, & veluti

flos

flos vini habetur, eo quod veluti spuma quędam in sanguinis superficie fluitat, flauaq; bilis dicitur, quam meatus, per iecoris substantiam digesti, in se allicientes, & simul collecti in vnū meatum desinentes, per iecoris cauum in bilis vesiculam deponunt. Lien itaq; inutile, & crassius iecoris excrementum, tanquam sibi vtile, & familiare ad se allicit, atq; in sui nutrimentū conuertit, & quam eius portionem sibi adaptare nequit, partim in ventriculum eructat, partim verò per inferiora in sedis venas deponit. Ex dictis, quæ Galeni quidem sunt, & à te negari nō possunt, manifestum est, sanguinem, quo iecur alitur, esse probè concoctum, depuratum, & defæcatum à suis excrementis, fæculentum verò sanguinem, qui ab illa concoctione residet, & veluti sanguinis fæx est, quo lienis caro lutoso sanguini similis nutritur, crassiorem esse. Sanguis igitur ille melācholicus, quo lien alitur, multo crassior est eo sanguine, quo iecur nutritur. Præterea quemadmodum ea, quę concoquūtur, coctione separant duo excrementa, alterum tenuius, alterum verò crassius, ipsis concoctis rebus in mediocritate inter tenue, & crassum remanentibus, sic sanguis, vbi probè concoctus est, bilim tenuius suæ coctionis excrementum, & melancholicum succum, tāquam crassius à se ablegat; sanguis igitur concoctus, cum in mediocritate consistat, respectu suorum excrementorum modò crassus, modò tenuis dicetur, crassus quidem si ad bilim tenuiorem, tenuis uerò si ad succum melācholicum, crassumq; conferatur, huiusmodi autem lutoso, melancholicoq; sanguine, qui coctionis prædictę excrementum est, nutritur lien, hepar uerò eo, qui coctus est, & in mediocritate ab excrementis repurgatus persistit, manifestò igitur concluditur, hepar tenuiori sanguine, quàm lien, nutriri, falsumque esse, & à uera medicinę, ac philosophię cognitione alienum, lienem à tenuiori sanguine ali, si ad sanguinem, quo hepar nutritur, conferatur. Idq; ex eo manifestum magis est, quoniam excrementum illud esse dicatur Galeno 1. de facult. naturalib. aduersus Lycum authore, quod actione de alimēto separatur; hac ergo ratione melācholicus sanguis, cùm actione ab hepate

4. de usu par. cap 3. & 4.

Quid sit excrementum.

de ali-

de alimento seruatur, hepatis excrementum erit, nō tenuius, quia tale est flaua bilis, erit igitur crassius, at hoc crasso sanguine, lutoso, ac melancholico nutritur lien, necessariò ergo alimentum à crassiori sanguine, quàm hepar, suscipit, quod non solùm ex lienis nutriti nigro colore patefit, ex quo melancholicum sanguinem nutrientem coniectamur, non autem floridum, qualis ex florido, & rubro hepatis colore manifestatur, sed etiam ex crassa lienis substantia crasso, & lutoso sanguini,
5. de vsu par. c. 7. quo nutritur, simili: ideoque Galenus dixit, optimo consilio splenem manifestè laxum, ac rarum fuisse constitutum, ad trahēdum enim à longinquo succum crassum aptius hoc fuit, neque metus erat, ne quid sanguinis sequeretur, neque enim statim antequam conficeretur, concoqueretur, aut mutaretur, erat melancholicum excrementum excreturus, vt renes lotiū, sed diutissimè retenturus, alteraturus, & alimentum sibi ipsi facturus. Adde succum melancholicum, sanguinis, vt diximus, crassum recrementum esse, tale autem nutrimentum est lieni, nutritur igitur lien crassiori sanguine, quàm hepar. Dictæ autem lienis nutritionis ex crasso concoctionis iecoris recremento potissima ratio est, quia crassum illum sanguinem, & recrementum concoquit, non enim nutrire potens est, quod concoqui non valet: si igitur concoquit, sibi apponit, & in sui substantiam transmutat, eamque ob causam Galenus affirmauit, lienem alijs non indiguisse vasis, quæ sanguinem ab hepate deferrent pro sui nutritione, quemadmodum vtraque vesica, in quibus nulla excrementorum erat futura coctio; non enim vesica fellis bile, neque altera vesica sero, nutriri possunt, quia dicta excrementa concoquere nequeunt, ideoque ea inconfecta dimittunt, & alijs indiguerūt vasis, quæ sanguinem deferrent illis alimentum præstiturum. Nulli igitur iam dubium esse debet, lienem crassiori nutriri sanguine, quàm iecur; ideo-
4. de vsu par. c. 3. que Galenus iuxta exempli similitudinem de concoctione vini, distriburum à ventriculo ad hepar chilum à visceris caliditate, velut vinum ipsum musteum feruere, concoqui, alterari in sanguinis boni generationem dixit, in ebullitione autem

hac

hac ex ipsis excrementis, quod fœculentum quidem est, ac crassum, subsidere, innatare verò quod tenue est, ac leue, & veluti spumam quandam in sanguinis superficie fluitare, posteaque hepar in fellis vesicam deponere, sicut crassum, limosum, & ponderosum melancholicum excremētum in lienem, à quo etiam, tanquam sibi familiare nutrimentum, attrahitur. Postquã igitur qui apparatur in hepate chimus, hoc est, humor ad nutrimentum animalis idoneus, prędicta duo excrementa deposuit, & ab innata caliditate coctionem exactam est adeptus, ruber iam, & purus ad gibbas partes hepatis ascendit, ignis in humido diuini portionem ab eodem detersam colore pręseferens, vt Plato dicebat. Tandem vt ad vltimam metam quęstionem hanc perducamus, consideranda sunt Galeni verba quarto de vsu part: à te citata, quæ errandi occasionem tibi præbuere; cum enim demonstrasset splenem instrumentum quoddam esse, quod purgat limosos, crassos, & melancholicos succos in hepate genitos, quos per vas venosum trahit, & tractos non protinus in ventriculũ excernit, sed priùs per multum otium conficit, atq; immutat, vtens ad hanc actionem potissimũ arterijs, vt motus earũ assiduitate, & innatę caliditatis, quę ipsis à corde affluit, confici, frãgi, mutari, atq; alterari possit crassities transumptorũ ab hepate ad splenem succorum, tandem subiũgit. Quicquid igitur eorum in succũ huic visceri maximè cõuenientem translatum fuerit, alimẽtum id spleni efficitur, quod autem ab ea, quæ in splene fit, elaboratione exciderit, nec in sanguinis tenuis, ac vtilis speciem transmutari potuerit, omninoq; inutile fuerit ad nutriendum, hoc ad ventriculum per alium quẽdam venosum stomachum splen eructat, vtilitatem, & ipsum quandam haud contemnendam præstiturum. Ex his tu colligis, splenem tenuiori sanguine nutriri, quàm nutriatur hepar. Verum non video quã id ratione sequi possit, licet enim Galenus dixerit, ex crassis iecoris excremẽtis, quod solùm in tenuioris sanguinis, ac vtilis speciẽ transmutari valet, splenis nutrimentũ fore, non sequitur, splenem tenuiori nutriri sanguine, quàm hepar, vt asseruisti, sed deducitur optimè, ali tenuiori Cap. 15.

parte sanguinis lutosi, & melancholici, quem iecur in splenē, tanquam crassum, & ponderosum excremētum ablegauerat. Sed dices, paulò infra Galenum tuam sententiam proposuisse, dum asserit, splenis corpus, quia tantò rarius hepate sit, quātò est crassius pulmone, meritò ex tenuiori parte sanguinis nutriri: at hoc non est affirmare splenem nutriri tenuiori sanguine, quàm hepar, vt proposueras, sed potius ali tenuiori parte sanguinis melancholici, & crassi, raritas enim plenis ostendit nutritionem ex parte tenuiori, & subtiliori sanguinis melancholici vlterius elaborata, & confecta, relicta crassiori: dēsitas verò hepatis demonstrat fieri ex rubicūdo, ac defæcato, & puro sanguine, integro, & ea crassitie, qua, qui superabundat ex iecoris nutritione, in cauam venam expellitur. Hoc autem non tollit nutriri hepar sanguine tenuiori, si sanguinem hepatis cum lienis melancholico sanguine comparere velis; præsertim quod eodem Galeno auctore, corporis splenis compositionem rarā, ac laxam instar spongię cuiusdam ex eo fuisse ait, quod succos crassos facilè trahat, & excipiat, quorum tenuiori parte alitur, vt eam raritatem, & laxitatem ad dictum munus perficiendum obseruet. Dictam nostram interpretationem claris verbis paulò inferius subiungit Galenus dicens. Qui nanq; attrahitur ad splenem sanguis crassior est eo, qui est in hepate, at quia elaboratus ab arterijs, quę illic sunt, atq; etiam venis multo densiorem tunicā habentibus, quàm quę sunt in hepate, non affatim, neq; crassus sanguis carni splenis, sed subtilis, & paulatim mittitur. Vides ne quo pacto Galenus dicat ali splenē tenuiori parte sanguinis melancholici, ac crassi vlterius elaborati? nō igitur asseruit, vt protulisti, ali tenuiori sanguine, quā hepar. Sed adhuc contendes verè Galenum protulisse sanguinē, quo lien nutritur, tenuiorē esse eo, quo alitur hepar, quoniā dum quarto de vsu par. in calce cap. 15. comparationem faceret trium visceru, quæ nutriuntur, eorum nutritionem sic se habere inquit. Hepar quidem ex rubicundo, & crasso sanguine, splen autem ex subtili, sed nigro, pulmo ex elaborato ad vnguē, flauo, subtili spirituoso, ac puro sumit alimentum. Quæ quidem Galeni

Lib. 4. de vs. par. c. 15.

leni auctoritas manifestissimè videtur tuæ fauere sententiæ: verùm si quæ ab eo supra, & infra dicta sunt, nō conniuentibus oculis velis perpendere, veram eorum verborum interpretationem consequeris; clarum enim est, vt supra idem Galenus inquit, hepar benigno simul, & crasso nutriri sanguine, quia dum expurgatus est ab vtraque bile, tenui.s. & crassa, in medio critate consistit, & talis, qualis remanet, nec omnino crassus, nec tenuis, alimentum est iecori, quod non minus à tenuiori, quàm crassiori parte ipsius sanguinis iam defæcati nutrimentum suscipit, ideoque Galenus inquit, hepar ex rubicundo, & crasso sanguine alimentum capere, at splenem ex subtili, sed nigro ali, ideo dixit, non quia nutriatur ex toto sanguine melancholico, ac crasso, hac enim ratione non ex subtili, sed crasso potiùs nutriretur, essetq; manifesta in ipsius dictis contradictio, sed quoniam nutritur parte tenuiori ipsius sanguinis melancholici, quemadmodum, cùm inter nos hęc oriretur controuersia, fuimus interpretati. Et adhuc hæc tenuior pars fęculenti, ac melancholici sanguinis, & si vlteriùs elaboraretur, & conficeretur ab innata caliditate spiritus arteriarum per splenis corpus diffusarum, multòq; tenuior redderetur, proculdubio crassior erit iudicanda, quàm totus sanguis in hepate confectus, purificatus, ac contentus. Huius autē rei potissima causa assignari potest, quòd tenuior illa pars sanguinis fœculenti, ac melancholici, qua lien nutritur, excrementū quidem est sanguinis defęcati in hepate contenti, nō tenuius, quia esset bilis, ergo crassius, adhuc igitur illa pars tenuior sanguinis melācholici crassior erit dicenda, quàm totus sanguis purificatus in hepate contentus. Dices elaboratione tenuiorem reddi, & reduci ad mediocritatem, aut ad maiorem tenuitatem, quàm sanguis hepatis obtinere videatur. Si ad mediocritatem reducitur, de nouo fiet sanguis, & nutriretur tunc lien sanguine, nō autem melancholico excremento, si verò excedit sanguinis mediocritatem, fiet bilis, qua quidem splen nutriri non valet. Cùm igitur neq; per vlteriorem elaborationem fieri possit melācholicus succus, aut sanguis, aut bilis, reliquum est, vt in sua

Cc natura

natura consistat, sed ex natura sua habet quòd sit excrementum crassum sanguinis hepatis, semper ergo erit crassior sanguine depurato hepatis, vt proposuimus. Si igitur totus sanguis hepatis cum toto sanguine melancholico lienis conferatur, erit crassior melancholicus sanguis, si verò pars tenuior eiusdem sanguinis hepatis cum parte tenuiori sanguinis melãcholici, etiã pars illa sanguinis hepatis erit magis tenuis, quàm tenuior sanguinis melancholici splenis, at si vtraq; pars, & tenuis, & crassa sanguinis hepatis, cum sola parte tenuiori sanguinis melancholici, qua lien nutritur, conferatur, nil mirum quod videatur crassitudine superare partem tenuiorem humoris melancholici, præsertim si cordis calore per arterias diffuso crassities retundatur, atq; magis elaboretur ad lienis nutritionem, & hac ratione Galenus cùm consideraret iecur ipsum nutriri simul crassa, & tenui substantia sanguinis in eo elaborati, splenem verò solùm tenuiori parte sanguinis melancholici vlterius confecti, dixit, nutriri splenem subtili sanguine, idest, tenuiori parte sanguinis melancholici, accipiens ibi totum pro parte; sed non ex eo sequitur nutriri tenuiori sanguine, quàm nutriatur hepar, cùm alibi sæpius significauerit splenem nutriri crassiori sanguine, quàm hepar, vbi vtriusq; alimẽti, quo viscera hæc nutriuntur comparatio fit: nono.n. de compositio-
Cap. 2. ne med. secũdum loc. inquit, splenem celerrimè indurari, sanguine nimirum in venis ipsius indurato, & ob crassitudinem neque excerni, neque discuti facilè potẽte; quamobrem opus habere affirmat pharmacis citra manifestã caliditatem, ne vehemẽtius incrassescat sanguis crassus in ipso obduratus. Si igitur sanguis crassus in liene continetur, & ab ipso alimentum suscipit, non nutritur quidem tenuiori sanguine, quam he-
Cap. 1. par. Quod etiam confirmat 6. de patient. loco agens de lienis, & hepatis affectibus his verbis. Quum itaque splen multa habeat accidentia cum hepate communia, re differre vidẽtur, nisi quòd quædam magis, quædam verò minus alterutri euenire solent. Nam quod ad coloris rationem pertinet, vniuersum corpus, ubi splen imbecillitate affectus est, magis nigricare vi-

re videtur, nam hoc ei natura officium dedit, vt melancholicum sanguinem ad se attrahat, quo ipsum ali iam demostratū est. Quid clarius dici potest, quàm facta comparatione affectuum, qui in vtroque viscere gigni solent, in maioris, minorisue ratione differre dicātur, in imbecillitate enim lienis, splē magis nigricare videtur propter melācholicum humorē, quo ipsum ali demostrauerat. Et libro de atrabile c. 6. de liene agēs inquit. Sed & huius quoque visceris gustus, licet elixi, acerbum quidpiam habere videtur, minimèque iecori simile; his igitur adducti veterum tum philosophorum, tum medicorum optimates purgari iecur à liene pronunciarūt, cùm ad se quicquid in sanguine limosum est trahat; tale autem id est, vt dixi, qualis in vino fæx, in oleo amurca: at acerbus gustus lienis melancholicum humorem à iecore relegatum, quo lien ipse nutritur ostendit, gratus verò iecoris sapor sanguinem purum, & defæcatum, quo ipsum iecur alitur manifestat, concluditur igitur lienem crassiori nutriri sanguine, quàm hepar. Tandem Gal. 13. meth. litem nostrā dirimit, apertè ostendens iecur tenuiori sanguine nutriri, quàm splen, dum inquit. Quippe iecinoris substātia scirrhis maximè opportuna est, vtpotè quæ naturaliter lutosum quidpiam continet, veluti medicus quidā nostri temporis per iocū dixit: lienis verò rarior substantia, quàm iecinoris est, cæterū crebriùs scirrhosis vitijs affligitur, propter nutrimenti, quo vtitur, speciem, monstratum nanq; est, quòd crasso nutriatur sanguine, qui velut limus purioris est, facillimèq; nigra bilis efficitur, ideoq; etiam ipsum melancholicum, siue atrum appellamus excrementum. Si igitur crassus sanguis lienis limus est purioris sanguinis, qui in iecore continetur, quomodo sanguinem limosum, quo lien nutritur, tenuiorem nō limoso sanguine, & puriori, quo iecur alitur, ausus es pronunciare? Certum igitur est lienem nullatenus nutriri tenuiori sanguine, quàm hepar, est enim hoc, & veritati, & Galeni doctrinæ consonum. Cap. 15.

Non minus etiam in admirationem ducor, quòd dum idem Illustrissimus Princeps, post assumptum medicamētum ex cas-

sia, propter morbosum apparatum, fluentibus mordacibus humoribus ad intestina, laboraret eorum exulceratione, dixeris, dysenteriam illam non ex biliosis humoribus, sed ex pituitosis potius vitreę pituitę speciem referentibus ortum duxisse; & in hanc sententiam adductus fuisti, quoniam dictos humores simul cum cruentis excretionibus videbas excerni, & non apparebant à principio biliosi, quorum erosione intestinorum vlceratio posset concitari; cumq; ego prędixissem statim subsecuturos biliosos humores, quorum mordaci, & erodenti qualitati malum prędictum, tanquam in suam causam, esset referendum, vt ipse exitus demonstrauit (statim enim egessit biliosa multa, atque cruenta) neque fieri posse, vt ex humore pituitoso, atque vitreo corrosio, & vlceratio fieret, cùm sit humor frigidissimus, potiusque concitare debuisset ingentissimos dolores, ac cruciatus, quales Galenus de se ipso fatetur passum esse, & iniecto oleo rutaceo, eiectaq; vitrea pituita dolores, quibus veluti terebro videbatur perforari, fuisse sedatos: tandē vt rationes has effugeres, dictam pituitam, nō quatenus vitrea, sed quà salsedinem per immoderatum calorē assumpsit, dicti mali causam extitisse asseruisti, attribuens eam hac ratione calori pręter naturam, & acquisito in vitrea pituita, non autem naturali eius frigiditati. Cęterum, rogo, quì fieri potuit, vt pituita vitrea in intestinis cōtenta, antequàm ob nimium calorem partem ipsius aqueam absumentem, & vsta quodammodo terrea (quod aquæ maris euenire solet) salsedinem sumpsisset, interim dum frigidissimus humor erat, vehementissimos dolores non concitaret? cum autem nullos notatu dignos antea pateretur, manifestè sequitur, excretionem illā mucosam non fuisse vitreum humorem in intestinis contentum, ac proinde nec salsum ab eo generatum, vt asserueras. Adde quòd in intestinorum tunicis natura frigidis nō tantus potuit adesse calor præter naturam, vt immodico suo excessu ex frigidissimo, acidoq; humore, ita cito calidissimum, salsumq; procrearet: sed demus id fieri posse, iam ille humor salsus nullatenus vitreus appellari poterit, cum alteram multò diuersam à vitrea pituita

1. proreth. com. ult. & 2. de diff. feb. cap. 6.
Li. 2. de loc. patien. c. 5.

acce-

acceperit naturam, atque speciem; quamobrẽ si salsus humor dictam intestinorum vlceratione concitauit, non erat vitreus nominãdus, pręsertim cùm Galenus nullibi vitream pituitam dysenterię causam fuisse pronunciauerit. Quare cùm dysenteria illa leuis esset, primùm quidem intestinorum mucus apparuit expulsus simul cum adipe intus illis adhęrescẽte,& exiguo cruore perfusus, hunc autem humorem existimare vitreã fuisse pituitam, & dicti mali causam extitisse,à vera ratione causarum dysenterię longè alienum est, cùm humor ille, & adeps intus adhęrescens secundùm naturam in intestinis contineatur, qui ab erodentibus humoribus motus, atque proprio loco diuulsus, postea per secessum naturę vi expellitur, quem non multò post sequi solet calidus, & erodens humor dysenteriam concitans, qualem conspeximus. Hęc pauca veritatis studio motus volui ad te mittere,quę, vir eximię, æquo animo accipito, meque mutuò diligito.



EXCELLENTI VIRO CAESARI SCANNAPECORI.

ANTONIVS ALVAREZ S. P. D.

Epistola nona.

Responsio ad dubia in examine libri proposita.



ERLEGI vir doctissime breuem tuam epistolam ad Excellentissimum Proregem Neapolis missam, qua nostram primam epistolarum, & consiliorum medicinalium partem tuo examini commissam comprobas, & tanquàm vtilem, non modo medicis, sed & philosophis, commendas. Gratulor equidem quòd operis authoritatem augeas, & multo magis quòd priuatim, quæ præ se aliquam ferre difficultatem inter legendũ tibi visa sunt, animaduertas: inter quæ ea est sententia, qua ex Galeni mente morborum acutiem, non solùm in motus celeritate, sed in periculo consistere quinta depulsione aduersus Saluum probare cõtendo: quod ex Archigenis, non autẽ ex Hippocratis, aut Galeni intẽtione, probè deductum existimas, citans Galenum secundo de diebus decretorijs capite duodecimo, & tertio eiusdem capite vltimo, dum inquit, Archigenem multis nominibus, & diuersis fore laudandum, quòd acutum morbum eum esse dixerit, cui motus velox, & cito pericula aduenìunt, æquũ esse existimans breues alios morbos nec acutos, nec diuturnos appellari posse, aut deberi: quemadmodum paruas, & à periculo remotas febres, quas non esse diuturnas nemo ignorat, & si ab acutorum natura recesserint. Ego vir egregie ingenuè fateor, ex Archigenis mente Galenum isthæc pronunciasse, verùm non ob id sequitur eum non eiusdem fuisse sententiæ: si enim ex eo laudandum fore Archigenem dixit, quòd acutum morbum ex velocitate motus, & periculo iudicauerit, proculdubio

dubio iam eius sententiam tanquam verissimam suscipit, & amplectitur, alioquin Archigenem non laudibus hac ob causam afficeret, sed aduersus ipsum irrueret, dictamq; sententiā impugnaret: tantum aūt abest vt id alicubi efficiat, vt manifestissimè ex propria mente, nulla Archigenis facta mentione, tertio prognosticorum textu decimo, morbum acutum cum magnitudine quadam, ac continuitate febris intellexerit, existimās si ita non sit, quāquam circa decimumquartum soluatur diem, aut etiam citius, eiusdem appellationis non esse; & secūdo aphorismorum cōmento decimonono inquit, acutos morbos præter id quòd celeriter iudicantur, statim & magnitudinem habere, febresque diarias, quas græci ephemeras vocant, licet cito finiantur, non tamen acutos morbos nominari: & secundo aphorismorum vigesimo tertio dixit, acutos morbos magnos esse, & ad suum vigorem celeriter properare: si igitur magni sunt, proculdubio erunt cum periculo. Non ergo ex Galeni, aut Hippocratis mente sola velocitas sine periculo acutum constituet morbum; præsertim quòd ex Hippocratis sententia tertio de diebus decretorijs capite vltimo, à te citato, Galenus inquit, morbum acutum cum febre continua euenientem esse periculosum, si verò fuerit sine febre, propter magnitudinem etiam est periculosus, vt liquidò patet quinta aphorismorum sectione aphorismo trigesimo dum inquit, sic & si absque febre aliquis alius morbus acutus fiat, velut morbus comitialis, morbus attonitus, conuulsio, distentio, propter magnitudinem morbi, & acutiem, impossibile est laborantem euadere. Ex hisce Galeni locis adductis, nemini non clarissimum est, Galenum nunquā morbi acuti meminisse, quin velocitati magnitudinem, periculumq; adiunxerit. Sed iam sententia hæc clariùs elucescet, si breuis, & longi morbi, & velocis, ac tardi naturam perpendamus; nanque ex philosophia accepimus in motu isthæc considerari, rem mouentem, mobile, terminum à quo incipit motus, & in quem terminatur, & spacium, seu interstitium per quod transit mobile: quòd si spacium breue fuerit, ab eo breuis dicetur morbus, quia breue spaciū breui per-

Sola velocitas non constituit acutum morbū.

transit

transit tempore, morbi enim motus à termino à quo proficiscitur, vsque ad terminum ad quem, tempore mensuratur, tẽpus enim numerus motus secundùm prius, & posterius ab Aristotele describitur: si verò spacium longum fuerit, ab eo lõgus denominabitur morbus, quia dum id pertransit, longum consumit tempus. Breuis igitur, aut longus morbus, ab spacio, quod breue, aut longum est, & breui, aut longo pertransitur tempore, dici solet: sic iter breue nũcupamus, quòd breue spacium continet, breuiq; tempore pertransitur, longum verò, quod longum obtinet, & longo tempore perficitur. Aliter morbus velox, aut tardus dici solet respectu motus, quo mouetur, si enim spacium, quod transire debet, veloci pertranseat motu, breuique tempore percurrat, morbus velox nuncupabitur, & tantò velocior, quantò velociori, breuiorique tempore pertrãsierit: cùm verò perscriptum spacium, & statutum pro longo morbo, tardo motu pertransit, tardus tunc appellabitur morbus, & tantò tardior, quantò tardiori, longioriq; tempore commorabitur in pertranseundo spacio. Non igitur idem est breuis morbus, & velox, aut longus, & tardus, quanquàm nunquam reperiatur velox, quin sit breuis, & tardus, quin longus existat: proindeq; Aristoteles aliquid moueri celeriùs dixit, quod prius mutatur, lentiùs verò, quod tardius, celeritatem autem in motu tribuit, aut valentiori causę mouẽti, aut minori resistentiæ mobilis, aut vtriq;: meritò enim fit, vt quod maiori vi, aut cum minori resistentia, vel simul maiori virtute, & minori resistentia mutatur, plus mutetur, & citiùs, celeriusq; ad finem properet, vt si quis magnum lapidem loco mouere velit, tantò tardiùs mouere incipiet, quantò facultatem habuerit debiliorem, & lapis grauior extiterit, & motu minùs mutabitur, quia nòn tantùm facta mutatio, sed ipsum etiã mutari recipit magis, & minus, illud autem magis, minusue in ipso mutari, velocitas est, aut tarditas. Rursus Aristoteles docet, motionẽ quamuis tantò esse velociorem, quãtò id, quod mouetur, minùs resistit, si causa mouens est eadem, aut æqualis: aut quantò virtus mouens maior est, si quod resistit est idẽ,

Breues, et lõgi morbi ab spacio, quod pertrãseunt, tales dicuntur.

Morbus velox, aut tardus à motu talis dicitur

Non est idẽ breuis morbus, & velox, & longus, ac tardus.

6. physs. c. 2.

Quæ sit causæ celeritatis motus.

7. physs. cap. vlt.

aut

aut æquale, vnde æqualia mobilia, ab æqualibus facultatibus æqua moueri celeritate necesse esse affirmat. Hęc dicta sunt, vt facilius discrimen inter breuem, & longum morbum, celerem, & tardum, percipi possit, quantumq; differat celeritas à breuitate, & tarditas à longitudine in morbis, non enim eandē notionem obtinent, licet inter se confusa, & pro eodem accipi videantur: siquidē velox tardo, breuis longo oppositus est. Omnis ergo acutus morbus (vt Galenus refert tertio de diebus decretorijs capite vltimo à te citato) planè exigui temporis morbus est, & omnis diuturnus necessariò tardus: nō tamen si breuis temporis, acutus statim est: neq; si tardus, longi tēporis. Verùm non ex dictis Galeni verbis colligitur, satis esse solam velocitatem motus in morbis, ad hoc vt acuti dici debeant, nam si ita esset, ephemera febris, & exquisita tertiana, quia motus habent celeritatem, & cito ad suum finem properāt, acuti morbi essent, & si periculo vacent, magnitudinemq; non habeant. Dices ephemeram, & exquisitam tertianam, morbos esse breues, non veloces, quasi non adsit facultas vigens, & minor resistētia ex parte mobilis in ephemera, & exquisita tertiana, quorū gratia velox illis cōtingat motus? Sed demus quod breues sint morbi respectu parui spacij transeundi, nō tamen sint veloces: pro breui quidem ephemera signabis spacium, quod pertrāsiri debeat in vigintiquatuor horis, & pro exquisita tertiana, quod septem periodis terminetur: si igitur ephemerę spacium pertrāsitur in sex, octoue horis, exquisitę autē tertianæ in tribus, aut quinq; periodis, proculdubio cum motus celeritate mouebuntur, nunquam tamen acuti morbi dicentur, quia ex natura sua semper periculo carent. Nō igitur in sola motus celeritate morbi consistit acuties, nisi magnitudinem habeat coniunctam, à qua periculum imminere necesse est: celeritas enim, & magnitudo acuti morbi naturam complent, eamq; ob causam Galenus laudat Archigenem quòd non solùm tēporibus solis, nudis, sed motu, & natura magis acutum, & nō acutum morbum appellauerit. Explicans autem inferiùs ex eiusdem Archigenis mente quo pacto morbi aliqui ab acutorum natura recedant, acutum morbum eum appellasse refert, cui motus est velox, &

2. de diebus decretorijs cap. 12.

subitò pericula aduenıunt. Quemadmodum enim animal, & rationale, hominem constituunt, vnoq; deficiente tota hominis natura corruit: pari modo acutum morbum complent velocitas motus, & periculum, quod si alterutrum deficiat, acutus morbus non erit: similiter ea ratione, qua animal, & rationale, seiunctim considerata, naturæ quædã sunt, de homineq; dicuntur, quia copulata unam hominis naturam constituunt: eadem ratione velocitas motus, & magnitudo, si seperatim perpendantur, naturæ dicẽtur, quia ex illis coniũctis acuti morbi natura cõflatur. Duplex igitur acuti morbi natura est, vna quidem in specie, quæ ex velocitate, & periculo constat, & ad conuertentiam cum acuto morbo dicitur, ualet enim mutua consequentia, si acutus morbus est, velox, & periculosus erit, vel è contrario, si est velox, & periculosus, vt acutus sit necesse est: altera verò natura in genere consideratur, quæ cum acuto morbo, etiam si illi conueniat, non conuertitur, non. n. sequitur, si morbus est velox tantùm, aut si solùm est periculosus, quòd sit acutus, quia potest aliquis morbus habere velocitatẽ sine magnitudine, aut magnitudinem, & periculum sine uelocitate, & talis nunquam acutus erit, habebit tamen unam, aut alteram acuti morbi naturam. Vnde Galenus citato loco ostendit, quã tùm pleriq; medici hac in re ea, quæ conueniunt, ignorẽt, putãtes acutum vocari morbum de quo celeriter iuditium est: contrarium huius diuturnum. At veritas inquit non ita se habet, quoniam est morbus breui tempore cõprehensus, non tamen omnino acutus: vnde colligitur quòd quadã ex parte erit acutus, nempe secundùm velocitatem, & breuitatem, quæ est una acuti morbi natura, secundùm quam ex motus specie generatim acutus nuncupatur, deficit tamen altera natura illi coniũcta, videlicet magnitudo, secundùm quã etiam acutus morbus dicitur: specificè verò secundùm ambas naturas coniunctas, & copulatas, nempe, secundùm uelocitatem, & magnitudinem, acutus morbus semper ad Galeni, & Hppocratis mentem erit nuncupandus, talisq; propter magnitudinis naturam periculo nunquam uacabit, eamq; ob causam Galenus secũdo lib. aphorismorum commento decimo nono, acutos morbos, præter

Duplex est acuti morbi natura.

id quòd

id quòd celeriter iudicantur, statim, & magnitudinem habere dixit. Neq; huic sententiæ cõtradicunt Hippocratis verba primo de morb. vulg. com. 3. tex. 3. vbi acutissimos morbos, maximos, grauissimos, ac præ cęteris omnibus lethales in cõtinua febre esse, dicit, & Galeni similiter, dum exponit, acutissimos ab Hippocrate nuncupari morbos, qui pauco tempore decernũt: maximos, ualidissimos, grauissimos, qui cũ periculo sunt coniũcti: quod in genere accipiendũ est, non in specifica ratione acuti morbi ex duabus naturis cõflati, ex velocitate nempe motus & ex magnitudine, seu periculo: qui tantò erit periculosior, & præ cæteris oĩbus magis lethalis, quãtò fuerit acutior in motus celeritate, & in magnitudine maiorẽ habuerit uim, quorũ gratia intra quatuor dies, aut etiã citiùs, ægrotans in interitũ ducitur. Neq; ob id continuas aliquas febres ab acutarum natura Hippocrates eximendas censet, quòd nõ ita citissimè terminẽtur, tantamq; habeãt magnitudinem, atq; vehementiã, quantam exacte peracuti morbi obtinere videtur, si enim intra decimum quartũ terminẽtur diem (qui terminus vltimus pro acutis morbis ab Hippocrate constituitur) nomen, & ratio acuti morbi illis conueniet æquè, ac acutissimis morbis, omnes enim nominãtur acuti, & omnes magni sunt, & in motu ueloces, hęc autem erat ratio morbi acuti, quòd cito terminetur, magnitudinemq;, atq; periculũ habeat: quòd autẽ unus acutus alio uelocior, & magnitudine maior sit morbus, speciẽ acuti uariare non facit, magis enim, & minus speciem non variãt, vt omnes asserunt philosophi. Si quidem non minus fluuius est qui strictis limitib⁹ cõtinetur, moderatamq; aquæ quãtitatem defert, quàm, qui in magnos, dilatatosq; prorrũpit alueos, licet vnus alio maior sit, magisq; fluat. Sunt igitur, vt dixi, acuti morbi nõ tantũ veloces, sed etiã magni, & magnitudine periculosi: quod cõfirmat Hippoc. lib. de victus ratione in morb. acutis, com. 1. tex. 8. cuius hæc sunt verba. Maxime autem medicũ laudauero, qui in morbis acutis, ui quorũ plurimi hoĩum enecãtur (secus quã cęteri) in melius procedat, & enumerans morbos acutos, eos esse inquit, quos prisci nominatim perstrinxerũt, tales aũt sunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus, &

 qui.

quicũq; alij hos cõsequuntur morbi, quorũ febres prorsus cõti nuę interficiunt. Ecce quo pacto acuti morbi periculosi sint: periculum autẽ ex magnitudine procedit, nõ ex velocitate: nã ex velocitate motus habẽt quòd cito ad finẽ properent, ex magnitudine verò, quòd cum periculo procedant: siue enim morbus magnus sit propter partis pręstantiam, vel ob prauam, pestiferamq; humoris qualitatem, seu ob affectus magnitudinẽ (qui tres modi magnitudinis morbi à Galeno proponũtur) semper periculum inferre necesse est. Ob id enim magni morbi magna expostulant remedia, quia ab eorũ ui periculum imminet, quã sæpius natura, nisi magnis iuuetur auxilijs, vincere non valet. Ex quibus manifestum fit, acutum morbum esse magnum, nõ tamen magnum morbum necessario fore acutum, potest enim esse tardus cum magnitudine, & periculo. Neque Hippocratis verba tertio prognosticorum, tex. secundo, vbi de acutis morbis sermo fit, prædictæ sentẽtię de acutorum morborum essentia vlla ratione repugnant, cum dicit. Simplicissimæ enim febres, ac signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citius desinunt: deterrimę verò, ac signis affligentibus difficillimis, quarto die, aut citius interimunt: neq; quòd Galenus in enarratione exponit, eidem sententiæ cõtradicit, nempè Hippocratem febres vocasse simplicissimas, tanquã dixerit placidissimas, atq; mitissimas, haudquaquam maleficas, & quoties securitatis inditia extiterunt, vltra primum quaternarium non procedere, sed aut quarto die, aut citius desinere: pari modo maleficas quoq; febres, & cum inditijs exitiosis factas, quarto die, aut citius interimere, quoniã in dictis locis Hippocrates, & Galenus voluerunt ostendere, quę in cõtinuis febribus sint securissimę, benemorigeratę, & omnino periculo vacãtes, & quę maleficę, pernitiosæ, maximèq; periculosæ, ac lethales: verùm nõ ex eorũ dictis cõcluditur, verè acutissimas eas reputasse febres, quæ securissimę, & sine vllo periculo sunt, licet breuissimę sint, celeriterq; in finem tendant, tales enim non minùs quàm ephemerę febres, breues, & veloces, non autem acutæ sunt: quæ verò è contrario maleficæ, cum inditijs exitiosis factæ, non solùm periculosissimæ, & lethales existunt, sed velocissimo etiam motu

Periculum in morbis ex magnitudine pcedit.

4. meth. c. 6

Magnus morbus non est necessario acutus

Securissimę, et sine periculo febres nõ sunt acutæ.

motu in pernitiem tendunt: & licet vtraq. febris in motus velocitate sit acuta, in altera acuti morbi natura maximè distāt, vna enim omnino periculo vacat, altera periculosissima, & lethalis existit. Quamobrem simplicissimæ febres, & signis firmatæ securissimis, etiam si veloces sint, cum magnitudine, periculoq; careant, verè, non modò acutissimi, sed neque acuti quidem morbi dicentur. Quanquam enim in prognosticorum libris agat Hippocrates præcipuè de morbis acutis, agit etiam de breuibus, & longis, vt probè intelligantur, qui acuti sint morbi, & quo pacto de illis iuditium ferēdum sit, & quoniam cum acutis aliquod habent cōmertium, aut ex illis consistunt. Hoc modo de aqua intercutim egit Hippocrates secūdo prognosticorum textu primo, & de morbo diutino cum vrina tenui, ac rufa iuditium detulit eodem libro tetxu 31. & Galenus in cōmento de exquisita tertiana sermonē fecit, quæ non inter acutos, sed potius inter breues morbos connumerāda est: inquit enim plerosq; mirabundos sæpe numerò eius præsagium, vaticinium quoddam credidisse, vt febre detentum quartana post quintum decimum diem iudicatum fuisse prędixisset, & tamē prædictionem per tertianam non demirarentur, cum in vtrisque ratio communis sit, vt enim per febres continuas numeramus omnes deinceps dies in præsensionem futuræ iudicationis: ita per intermittentes, adnotationes: vt quod per continuas septimus dies valet, id per intermittentes septima circuitio præstet, ob idq; exquisitam tertianam septem circuitibus, non diebus septem iudicari dicit: quin etiam quod dies quartus à principio numeranti aduersus septimum est, id quartam circuitionem aduersus septimam circuitionem esse affirmat.

Secundum quod consideratione dignum existimas, id est, quod tertia depulsione proposui, totius nempè victus rationē in vnoquoq; morbo à duabus intentionibus sumi, videlicet, ab ægrotantis viribus, & à morbi constitutione, eiusq; vigore, cùm Galenus prima aphorismorum sectione, aphorismo 12. tres ad perfectam, absolutamq; victus rationem instituendam intentiones proponat, ex viribus ægrotantis, ex morbi con-

stitutione, & vigore, & ex particularibus accessionibus. Cui dubio satisfaciam, si priùs in memoriam reuocem, quę ab eodem Galeno in enarratione septimi, octaui, noni, & decimi aphorismi dicta sunt, ex Hippocratis enim doctrina colligit, generalem totius victus rationem in vnoquoque morbo à duabus sumi intentionibus, ex futuro totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis: quod confirmat in commento vndecimi aphorismi, dum inquit, Hippocratem totius victus rationem in vnoquoq; morbo à duabus intentionibus iussisse sumere, ex futuro totius morbi vigore, & ex viribus ægrotãtis: nemini autem dubiũ est generatim in vnoquoq; morbo id proposuisse, sicq; tempora vniuersalia morborum si considerentur ita vt, ex illis quis futurus sit morbi status colligatur, & pariter vires mensurentur respectu longioris, aut breuioris status futuri, quę cum tali victus ratione possint sufficere vsq; ad summum morbi vigorem, debita victus ratio tunc ex duabus perficietur intentionibus, vt Hippocrates, & Galenus innuere videntur locis citatis. Ego autem, vir eruditissime, sermonem faciebam de debita victus ratione, quam, cõsiderato totius morbi vigore, & virtute ægrotantis, nullo habito respectu ad particularia accessionum tempora, venari medici solent, sequutus Hippocratem, & Galenum prędictis locis: at si cum vniuersalibus morbi temporibus cõnumeres etiam particularia accessionum tempora, ita ut, qua hora tutiùs cibandus æger sit, velis pręnoscere, tũc optimè cum Galeno tres, ut dicis, erunt ad perfectam, absolutamq; uictus rationem instituendam intentiones, ex uiribus ægrotantis, ex morbi constitutione, eiusq; vigore, & ex particularibus accessionibus. Nisi.n. hęc sit vera Galeni, nostræque sententię expositio, sanè in ipsius dictis manifesta esset contradictio: sicq; Galenus agens de uniuersalibus totius morbi temporib⁹ in enarratione octaui aphorismi inquit. Hęc igitur tibi sit vna indicatio sumpta ex morbi tẽporibus ad uictus formã, altera verò à viribus ægrotantis, quam in sequenti docet aphorismo, & ex ipsius commento in vndecimum aphorismum manifestiùs quod diximus non diuersum esse ab Hippocratis sententia

Quomodo debita vict⁹ ratio ex duab⁹ sumatur intentionibus, & quãdo ad tres referatur.

tentia quisq; colliget, dum inquit. Si quæ prius ab eo, nẽpè ab Hippocrate, dicta fuerunt de victus ratione, ad memoriã reuocemus: eorum, quę nunc dicuntur, utilitas erit manifestior. Quę autem priùs dicta fuerunt, hęc sunt: totius uictus figuram ad duas respiciens intẽtiones faciebat, quarum altera erat vis ægrotantis, altera, constitutio morbi, deinde addit. Particulares autem ciborum oblationes ex accessionibus particularibus coniecturabatur: quod Galenus animaduertens, coniungens cõsiderationem particularium ciborum oblationum ex accessionibus particularibus cum cognitione temporum vniuersalium, & vniuersalis status morbi, infert eam sententiam, quam considerandam pręcipis, his verbis. Cum igitur tres essent intẽtiones ad perfectam, & absolutam victus rationem constituendam, primaq; ex viribus ægrotantis, secunda ex morbi constitutione, tertia præter has, ex particularibus accessionibus sumeretur. Quę quidẽ Galeni verba nostrę sententię non contra dicũt, pręterquam quòd Hippocrates duodecimo aphorismo non inquit, circuituum successiua incrementa, siue quotidiè, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant, considerãda esse ad particulares ciborum oblationes, sed ad cognoscendum an morbi vniuersalis status propinquus futurus sit, vel lõgiùs distet, vt eius ratione habita mensuremus victũ, quo possit ad illum usq; virtus perdurare: ideoq. Galenus inferiùs inquit. Nos quidem cùm statim prima die febrium quartanarũ initia sępe cognouissemus, non spectata secũda accessione, formam victus ab initio constituimus, tanquam ad morbum, qui longo post tempore ad suum vigorem foret peruẽturus, idem in quotidiana, & tertiana fecimus, tempus futuri uigoris in vtrisq; secundùm proprium terminũ metientes: quare hac ratione particulares accessiones faciunt ad cognitionem vniuersalis status morbi, & sub illa includuntur, respectu cuius, forma uictus, quę seruari debeat, statuenda est, licet etiam ad horam exhibendi particulares ciborum oblationes eligendã, considerandę sint. Tria igitur cùm sint capita, quibus uictus ratio comprehenditur, quantitas ciborũ, qualitas, & utendi modus: ad duo

ad duo quidem priora capita ex accessionibus nullã habemus vtilitatem, ad tertium verò, idest ad vtendi modum, ex accessionibus aliquid sumere possumus, vt Gal. refert 1. aph. cõ. 19.

Tertium, quod nõ mediocrem habere difficultatem credis, ea est sententia, qua septima depulsione versus finem affirmo, de his, quę rarò eueniunt haberi scientiam, ęquè ac de his, quę frequenter fiunt, quandoquidem per mathematicas demonstrationes in verã cognitionem eclipsis solis, & lunę, & si rarò contingant, deuenimus: pariq. modo de quintanis, septimanis, ac nonanis febribus, & si rarò visę fuerint, veram doctrinã non esse prætermittendam: secus tibi videri animaduertens, quòd alia ratio sit rarò contingentium si fuerint cœlestia, & si sint sublunaria, hæc. n. casu fieri, vel fortuna existimas, quorũ scientia non habetur authore Arist. 1. posteriorum, & 2. de physica auscultatione. Cùm verò perlegissem caput quintum secũdi libri physicorũ, vbi ex professo de casu, & fortuna sermo fit, quantum ex illa lectione potui percipere, quia causæ per accidens sunt, rarò eueniunt, & indifinitæ dicuntur, illarumque scientia tradi non potest: non tamen quando causa rarò euenit, si de per se alicuius effectus est causa, talis effectus casum, aut fortunam causam esse statuendum est; neq; quia rarò eueniat, eius scientiam haberi nõ posse vlla ratione credendum: si enim effectus de per se à causa essẽtiali, & de per se proueniat, etiamsi rarò fiat, cum causa non sit indifinita, neq; incognita, eius scientiam haberi necesse est, sicq; per mathematicas demõstrationes veram eclipsis solis, ac lunæ rationem, & si rarò contingant, percipimus. Neq; differens est ratio rarò euenientiũ, quando sunt cœlestia, aut sublunaria, dummodo vtraq; à causa de per se, non ex accidenti, fiant: ideoq; dixi. Pari modo & si quintanę, septimanę, aut nonanę febres rarò visę fuerint, non ob id de illis veram doctrinam pretermittendam fore, cùm de per se, & essentialiter ex eodem humore, quo quartana generentur, in minori tamen quantitate: æque. n. essentialis causa est melãcholicus humor quartanę, ac quintanę febris, nec quia rariùs quintana eueniat, ideo casu, vel fortuna successisse dicẽdum est.

Effectus à causa essentiali, & de per se prouenientis sciẽtia datur.

Dum

Dum Salui sententiã x. depulsione nõ esse recipiendã contẽdo, qua existimauit, in Anaxionis morbo plenitudinis à principio extitisse signa, Hippocratemq; ea cognouisse ex eo, quòd non tãtũ octauo die, sed in primis etiã ęgritudinis diebus venã Anaxioni secuerit, fecisse tñ mentionẽ de venęsectione octaui diei, quia nõ erat consuetũ fieri illa die, alias verò venę incisiones, quas fieri iusserat Anaxioni ante octauũ, tanquam quid notũ, & consuetũ subticuisse: dumq; Galenũ nullibi id sic exposuisse referã, considerãda illius verba mones tertio de morbis vulgaribus, cõmentario 1. textu 3. in historia Pythionis, vbi videtur eandem, quam Saluus expositionẽ protulisse. Verùm vt dubitationi satisfaciam, animaduertẽda sunt quę Galenus ꝓposuit tertio de morbis vulgaribus, cõmentario 3. textu 79. in historia Anaxionis, quo loco inquit, in hoc vno ægrorum, 1. & 3. lib. de scriptorum, de sanguinis missione Hippocratẽ fecisse mentionẽ, non vt solo, cui sanguinẽ misisset, sed vt octauo die solo; quibus verbis ostendit ideo venęsectionis octaui diei in Anaxione meminisse, quia medici illius tẽporis quasi lege certa vltra quartum diem venam non secabãt, ideoq; si octauo die Anaxioni sanguinem misit, credendũ censet in alijs ægris sanguinis missionẽ requirentibus, 2. 3. & 4. die, auxilio hoc vsum fuisse, licet in eorũ historijs tale remediũ reticuerit. Ego sanè vir egregie assequi nõ possum, quo pacto ex Galeni dictis colligi possit, Hippocratẽ Anaxioni pleuritide laborãti sanguinem misisse primis ęgritudinis diebus, quia octauo die sanguinẽ miserit, nam licet in aliorum ægrotantiũ morbis, qui postulabãt venęsectionem, sanguinẽ extraxerit primis diebus, & tanquã notũ huiusmodi subticuerit remediũ, non ex eo sequitur Galenũ credidisse, Anaxioni ante octauũ diem sanguinem missum fuisse: & eo magis quòd dixerit citato loco, Anaxionẽ hunc crudissima conflictari pleuritide ex crassis, lentisq; humoribus, vndecimoq; die cæpisse expuere, quod principij coctionis inditium fuit, & in lõgo adeò morbo cũ tanta humorum cruditate, potius Galenus venęsectionẽ primis diebus damnasset, quàm vt vlla ratione Hippocratẽ Anaxioni ante octauum diem sanguinẽ misisse credidisset, pręsertim cũ Hippocrates dixerit, octauo die, quo missus Anaxioni sanguis fuit, multũ vt debebat fluxisse: non aũt multũ fluere permitte-

Probatur Gale. non credidiße Anaxioni ante octauum sãgui nẽ missum fuiße.

permitteret, si primis ægritudinis diebus sanguinē misisset, quia vires propter primarias sanguinis euacuationes necessariò essēt labefactatę, nō possentq; octauo die ferre multā sanguinis detractionem: & eo magis, quòd vires crudis, crassis, ac frigidis humoribus, quales in primis diebus ægritudinis Anaxionis reperiebātur, lacessitæ, & diminutę, tātam sanguinis euacuationem ferre non valerent; quibus.n. crudorum humorum copia accumulata est, viriū robur nō adest Gal. referēte lib. de cur. rat. per sang. miss. c.9. Ob has igitur rationes Galenus nō asseruit, Hippocratē Anaxioni ante octauum diem sanguinem extraxisse. Secus quidē existimat in historia Pythionis 3. de morb. uulg. com. 1. tex. 3. qui primo die cæpit laborare cum manuum tremore, febre acuta, & delirio, secundo verò, cuncta fuerunt exacerbata; quamobrē cum ingens esset morbus, à causaq; nō leui, primis diebus sanguinis missione vsum fuisse Hippocratē profert, & si in ipsius scriptis nō appareat eā ascribere. Et in cōprobationem adducit eundē Hippocratem lib. 3. de morb. vulga. com. 3. tex. 79. vbi de Anaxione in hunc modum scripsit. Octauo die cubitum secui: multum vt debebat fluebat; vnde Galenus infert, si octauo die sanguinē illi detraxit, multo sanè prioribus diebus in ęgritudinib⁹, quę tali pręsidio indigerent, magis venęsectione vsum fuisse credendū est. Etenim in Anaxionis historia vt rarū scripsit, octauo die missum illi fuisse sanguinē: & sanguinis missionē ante diem octauum in pythione, alijsq; ęgris grauiter laborātibus, vt consuetā pręterijt. Hanc autē fuisse Galeni sententiā ex eo cōstat, quòd paulo inferiùs dixerit, magnis infestātibus morbis, si vires pmiserint, Hippocratē venęsectione vti, cùmq; in libris de morb. vulga. ex tot ęgrotis solùm Anaxioni 8. die sanguinē missum fuisse, pferat, nihil aliud excogitari posse, quàm quod alijs ęgris nō pręteritū fuerit hoc remediū: in enarratione verò vt clarū prętermissum fuerit. Nō igitur ex Galeni dictis hic, aut alibi Saluus eā potuit colligere opinionē, qua existimat, Anaxioni nō solùm octauo die, sed & primis ante octauum, Hippocratem sanguinem detraxisse. Quintum, quod proponis, authoritas est Galeni lib. 13. meth. c. 16. vbi affirmat lienē crasso nutriri sanguine, cùm tñ epist. 2. à nigro, & tenui sanguine alimentū suscipere referā. Verùm si, q̄ eo in loco scripsi, ppendas, Fol. 241.

Galeni

Galeni dictis nõ repugnare intelliges: nõ.n. nego lienis substãtiã, crassã cũ sit, crasso etiã nutriri sãguine, sed affirmo illi⁹ crassioris, & melãcholici sãguinis tenuiorẽ, & defęcatiorẽ partẽ attrahere, cõcoquere, & tandẽ assimilare. Nutritur itaq; lien crasso sãguine respectu illius, q hepatis substãtiã alit, nigro verò, & tenui, respectu crassioris, & magis fęculenti, quẽ tanq̃ inutilẽ, post attractã tenuiorẽ ipsius partẽ, ad vẽtriculũ, & intestina p dedicata vasa reijcit, & expellit. Vltimo tandẽ aĩaduertis, 2. de temp. c. 6. & lib. art. med. c. 4. Gal. dixisse, iecur bilioso excremẽto duplici via expurgari, cũ tñ aduersus Iuliũ Iasolinũ id oĩno negauerim. Qđ quidẽ explicatione indiget, nãq; aliter duplex illa via ꝓponit à Gal. citatis locis, quã à Iulio describat, q asseruit, secundũ Gal. mẽtẽ iecur bilioso recremẽto duplici via purgari, tenuiori, ac puro, p bilis vesicã, & fellis vocata vasa ab ea ꝓducta: crassiori verò, atq; ꝑmisto, p amplũ vas ab hepate ortũ, & duodeno intestino implãtatũ. Hanc duplicẽ viã à viro illo anatomes peritissimo inuentã, aut potius somniatã, à Galeno nusquã conscriptam asserui; non enim vas illud amplũ, quod recta à iecore in duodenũ descẽdere ait, expurgãdę crassioris, & pręternaturalis bilis gratia, si quę in hepate generetur, necessarium fuit, aut vnquã oculatissimi anatomes professores, id etiã diligenter indagãtes inuenerunt, quẽadmodum ibi fusius diximus, sed ob eã causam negandũ minimè est, duplici alia via biliosum recremẽtum aliqñ expurgari, vt Gal. proposuit locis à te citatis. Etenim 2. de temp. c. 6. asserit, meatũ illum quo iecur bilẽ in ventrẽ euomit, alijs geminũ, alijs vnicum, ac plurimũ quidẽ vnicũ hunc esse in duodenũ intestinum insertum: vel si geminus meatus sit, maiorẽ in intestino, minorẽ in fundo ventriculi paulò supra pylorõ esse, sed tñ in paucissimis superiorẽ partem maiorẽ, inferiorẽ minorẽ reperiri. Cęterũ quibus est maior, his in ventrẽ non exiguũ bilis effundi, quę euomẽda ante cibos sit, alioquin lędunt oĩno. Quibus verò vnicus est meatus, totã bilẽ cõfluere in ieiunũ. Et lib. art. med. ait vidisse pituitosum bilẽ quotidie vomentẽ, inspectisq; alui excremẽtis, in q̃bus minimũ bilis erat, cõiectura assecutus est, eũ meatũ, qui biliosũ egurgitat humorẽ, minimã eiusdem partẽ ad imũ ventriculi locũ, quẽ gręci piloron .i. ostiariũ vocant, effundere, idq; in quibusdã aĩalibus manifestissime

Lien tenuiori parte melancholici sãguinis nutritur.

Epist. 2.

Biliosum excrementum aliquãdo duplici via quo modo expurgetur.

sime apparere. Quib⁹ vtiq; verbis manifestũ est, vt plurimũ, vnicũ esse meatũ, seu vnicã viam, per quã iecur à bilioso expurgať recremento, cùm debitè à natura mẽbra fabrefacta fuerint, q̃a verò vt plurimũ probè cõstructa sunt, inde est quod fere sem p̃ vnus reperiať meatus, per quẽ secundũ naturę institutũ debitè biliosus euacuetur humor: at q̃a aliq̃n, & si raro, alia inuenitur etiã via per q̃ iecur in vẽtriculi fundũ biliosum excrementũ emittit (vt cõtingit homini pituitoso, quẽ Galen⁹ refert quotidie pallidã euomuisse bilẽ) manifestũ est non secundũ naturalem, & cõsuetam humani corporis constitutionẽ id euenire, neq; pro debita naturę lege, q̃ ventriculũ ad recipiendum, nõ ad vomendũ fabricauit: vnde meritò qui quotidie bilẽ vomebat infelix à natura fuit, quòd amarissimũ humorẽ singulis diebus euomuisset, quòdq; vẽtriculus munera exercuisset eius naturę cõtraria. Quapropter cùm humanũ corpus secũdùm naturę legẽ, & debitã ipsius cõpositionẽ fabrefactũ est, ipsius iecur vnica via à bilioso humore expurgatur p̃ fellis vocata vasa, quę in meatũ vnum ieiuno intestino inplantatũ terminãtur, biliosumq; recremẽtum expellunt: eãq; ob causam cùm debitè humana corpora cõposita sunt, & secũdùm naturę institutum, vniuersali doctrina iecur à bilioso excremento simplici, nõ autẽ duplici, expurgari via asserui, quę in ieiunũ tendit intestinũ: id autẽ non excludit particulatim posse cõtingere quòd aliq̃s reperiatur hõ, cuius iecur magis expurgetur bilioso excremẽto per aliã viã, seu meatum pręter cõem hominis cõpositionem fabrefactũ, & à iecore in vẽtriculi fundũ permeantẽ, cuius gratia quotidie bilẽ euomat, taliq; euẽtu infęlix à natura dicatur. Verùm duas illas vias à Iasolino inuẽtas, p̃ quas biliosum recremẽtum cõmuniter euacuari dicit, tenuius p̃ fellis vocata vasa, & meatũ ieiuno implãtatum, crassius verò, p̃ magnum, priuatumq; meatũ à iecore exortẽ, & in intestina recto tramite deductũ (licet ex Galeno eas referat) nõ modò ex Galeni dictis colligi posse negauim⁹, sed impossibile etiã fore (cum aĩans naturę opere regitur) quòd ĩ humano corpore reperiri possint, multis rõnibus comprobauimus. Hęc scripsi peritissime vir pro respõsione dubiorũ, quę interlegẽdũ opus nostrũ subtilissimè, doctissimèq; annotasti, eaq;, vt spero, beneuolo aĩo suscipies, meq; tibi deuinctissimum cognosces.


DEFENSIONES ANTONII ALVAREZ.

PRO IOANNE ALTIMARO in Salui Sclani Apologiam.

QVOD EA, QVAE DIXIT ALTIMARVS pro patris defensione contra Saluum, verissima sint, & in oppositum adducta nihil concludant.



IOANNI ALTIMARO
MEDICO DOCTISSIMO.
ANTONIVS ALVAREZ. S.P.D.





I magistris plurimum debere discipulos receptum est Ioannes peritissime, magis profecto parenti simul, et magistro, à quo et naturale esse, quod habes & doctrinam accepisti, meritò te debuisse fateri necesse est, alioquin erga parentem, & magistrũ ingratus videreris: præsertim si illius dogmata ab Hippocratis, & Galeni fonte exhausta contemni, & aduersus illa calumnias iactari patereris. Quam notã ut effugeres, Saluo Sclano, viro alioquin doctissimo, in suis ad Hippocratis primũ aphorismorum librum cõmentarijs aliquot opiniones Donati Antonij parẽtis tui, atq; magistri à peritissimis nostræ ætatis medicis receptas impugnanti, respondere decreuisti, docte adeò, vt parentis doctrina defensorem alium nõ desideret. Ego verò quia Donatum Antoniũ doctissimum virum magnifacio, quem præstantissimi medici tanquam verissimum Hippocratis, & Galeni sectatorem uenerantur, quam illi debeo gratitudinẽ

 præ-

præstare uolui, pro illius doctrinæ, nec non præceptoris mei Christophori à vega medici omnibus numeris absolutissimi, aliorumq; doctissimorum virorũ, quos Saluus redarguere ausus est, confirmatione, aliquot eiusdem salui sententiarũ depulsiones scribens, quas in lucẽ dare distuli, donec ad manus perueniret apologia, quam aduersus te, & parentem, typis mandauerat. Qua perlecta, eo animi candore motus, quo decet ueritatis amatores, diutiùs me continere non potui, quin respõsiones pro tua, ac parentis doctrina scriberem, quas ad te mittere decreui ante quàm in lucem prodeant, ut & nostram erga te, & patrẽ beneuolentiam cognoscas, & si quid ab Hippocratis, et Galeni dogmatibus alienum tibi uideatur, animaduertas. Vale.



AD

CLARISSIMVM VIRVM

ANTONIVM ALVAREZ

PHILOSOPHVM, ET MEDICVM PRAE-stantißimum in Parthenopæo Regno Archiatrum.

IOANNES ALTIMARVS S. D.



GNOVI ex literis tuis, & ingenuũ animum, & liberale tuum ingenium, qui virtutis tantum studio illectus, & patris mei memoriã, & meã quæcũq; est in re medica facultatẽ tuendã suscepisti; pro quo ne dum candido officio, sed singulari erga nos merito immortalẽ habeo, semperq; habebo gratiam, & si unquã parem referendi nanciscar occasionẽ, grati animi specimẽ præ me laturum recipio. Agerem tecum de suscepto negotio fusiùs, nisi res ipsa adeo clarè omnibus innotesceret, vt ad eam conniuere non candidi, sed liuidi sit animi. Scio te, cæterosq; admirari, qui graui, prudentiq; iudicio vtũtur, quid ita feroculus, atq; in me vel plusquàm subiratus Saluus insurrexerit, & in sua Apologia acriter inuectus me tantopere conatus sit perstringere, vir & bonarum artium eruditus, & in re medica inter primarios nõ postremus, & meus hactenus semper amicus. An illud ægrè tulit, quòd quas patris mei sententias ipse studuerit euertere, ego nixus sim substinere? & quod ipse in viro tam graui, & in omni doctorum virorum memoria tam celebri ausus est reprobare, Ego qui sũ & patris, & præceptoris, & quod in hac re maius est, veritatis studiosus, & obseruator, studuerim defendere? & in his ipsis, quibus illum arguit, ipsum redarguere? præcipuisq; (ni fallor) rationibus in eum retorquere? & quã ipse sub Elenchis, fallaciq; verborum inuolucro nixus est studio contra dicen-

dicendi veritatem obtegere, ego dilucidis argumentis, clarisq; demostrationibus conatus sim detegere, & fallaciarum nebulas discutere pro mea, & patris authoritate tuenda? sed ait me id egisse petulantissime. Cedo, quod in mea epistola verbum prolatum est petulantius? aut quomodo differendo, & arguẽdo agi potuit modestiùs, & amiciùs? sed admirari subest hominis inconstantiam, qui cùm in suis commentarijs Altimarũ præceptorem appellet, nunc illud impudenter neget, scilicet aut verecundia ductus, aut parum grati animi notam cupiens effugere. Sed frustra conatur, est.n. adhuc in plurimorum virorum viuentium memoria adeo fixum se ab Altimaro semper protectum, & ab aduersariorum oppugnatione summa ope, & authoritate defensum, vt licet id ex eius memoria liuor deleuerit, ex aliorum tamen mente, qui hęc nouerunt, euelli nõ possit. Sed esset vel obliuio, vel neglecta gratitudo vtcunq; ferenda (licet beneficiorum obliuio, vel minus grata recordatio nõ mediocris sit labes, in grauibus præsertim, & eruditis viris) verùm illud ferri nullo modo potest, quòd in eo oppugnando, qui ipsum defenderit, illis ipsis utatur propugnatoribus, qui ipsum subuertere conati sunt, & à quorum potentia nisi ab Altimari ope, & auxilio defensus esset, fuisset omnino ad ima deturbatus, & hi, qui tum in Saluo oppugnando conspirauerãt, nũc in mortuum grassantes Saluum ipsum protegant, & sui præseferant adiutores, ne dicã authores. Sed mittamus plura de eo conqueri, ne longiùs quàm propositum est progrediatur oratio. Illuc redeo, non possum non plurimum lætari, te virum, & doctrina, authoritateq; grauem, & eloquentia, eruditioneq; præstantẽ huiusmodi patrocinij munus obisse, emerget enim exinde veritas, & Altimari patris decus à cæteris oppugnãtibus erit deinceps omninò tutum; tua deinde laus nullo claudetur termino; tuumq; nomen, quod est in vtraq; Hesperia celeberrimum, ob humani corporis sectionem tàm acuratè perquisitam, tàmq; perfectè acquisitam, vt qui in ea demostrãda illud præstes, quod ante hac præstitit nemo, cùm idem doceas, idem disseces, idem minutissima quæq; manu tua inuestiges,

idemq

idemq; summa industria, & dexteritate ob oculos omnium manifestissima proponas, mirificam in hac disciplina consequens laudem, erit deinceps multo celebrius, ob hanc veritatis, eiusq; asseclarum tutelam tam candidè susceptam, validissimèq; ab aduersariorum iniurijs vindictam, & si vt incepisti proborum virorum, probatorumq; authorum patrocinium suscipere, ac ab impugnantium incursu, iniuriaq; vindicare, perexeris, ad tantam laudis, honorisq; gloriam peruades, vt nedum in Parthenopæo regno Archiatri dignitate, quam ob tuam summam probitatem, eximiamq; doctrinam nunc obtines, sed in toto terrarum orbe, inter omnium disciplinarum, artiumq; eruditos viros, principe loco doctissimorum consensu dignus iudicaberis. Illud superest, vt te quoad fieri potest enixius rogẽ, vt depulsionum tuarum libellum, quem ad extremum calcem iã peruenisse persensi, quamprimum edas, tum vt tuæ peritię, eruditionisq; præclarius specimen prodeat, tum vt aliqui mediocris ingenij, & eruditionis viri, qui alacritate, vel imprudentia magis, ad vanos subeundos labores incitantur, obstrepere desinant, & à scribendo deterreantur. Vale.



SALVO SCLANO MEDICO PRAESTANTISSIMO

Antonius Aluarez Salutem plurimam exoptat.

Epistola decima.



Vm in publicum essem daturus aliquot depulsiones tuarum rationum, quibus in conmentarijs primi aphorismorum libri peritissimorum virorũ verissimas sententias oppugnare contendis, volui tamẽ Salue doctissime, defensiones tuorum decretorum iam iam in lucem prodeuntes priùs & spectasse, & perlegisse, vt si quid noui in apologia aduersus peritissimum Ioannem Altimarum inuenissem, quo eius patris Donati Antonij viri de remedica bene meriti decreta depelli possent, nõ modò id fuissem amplexus, sed ab opere destitissẽ, teque gloria dignissimum iudicassem, quòd tuo ingenio nouam totius artis medicæ diuisionem in indicatiuam, curatiuam, & salubrem inuenisses, ipsamque artem amplificasses non minus dicta partitione, quàm ea sententia, qua existimas in indicatione sumpta à virtute, ex parte indicãtis aliquid nocens, sicut in indicatione à morbo, depromi. Quod à nemine, quod sciam (te vno dempto) hactenus fuit expositũ, quẽadmodum neque particulares circuitùm causas ad contractæ putredinis conditionem reducendas fore. Neq; minori laude esses efferendus, dum Altimarum damnas asserentem in Anaxione pleuritide laborante ideo Hippocratem venæsectionem vsq; ad octauum diem distulisse, quia sperauit solis fomentis affectũ curari posse, si inde sequi Hippocratem de ignorãtia redargui

dargui clarè monstrasses: aut dum ante humorum coctionem in morborum principijs ab expurganti medicamēto cauendū esse cum Hippocrate, dummodo non turgeant, cōtendis, si sub turgētiæ nomine materiam multā, seu malignam, vel crassam, quę ad princeps mouetur membrum, contineri neutiquam asseruisses. Cum autem nullę inuentæ sint nouæ rationes, neq; validiora in apologia deprehēdantur argumēnta, quibus prædictas tuas opiniones firmare, & Altimari, aliorumq; grauissimorum medicorum, pro quibus oppugnare decreueram, depellere videaris, animum magis excitasti meum non modò ad id, quod subieram munus perficiendum, & pro illorum veritate decertandum, sed ad respondendum argumentis contra Ioannem Altimarum propositis, vt parentis, aliorumq; probatissimorum virorum doctrina magis elucescat. Accipe igitur æquo animo nostras, quæ sequuntur, defensiones, intelligitoq; satiùs multò fore, atque laudabilius, doctissimum virum verissimis conuinci rationibus, quàm suas opiniones in contrarium adductas intemperanter tueri.

QVOD ARTIS MEDICAE DIVISIO AB ALTImaro proposita in dignotionem, prænotionem, atque curationem, rectè tradita sit.

DEFENSIO PRIMA.



IN prima nostra depulsione latè exposuimus peritissime Salue, vniuersam medicinę artem optimè ab Altimaro, & doctissimo pręceptore nostro Christophoro à vega fuisse diuisam in primas, atque generalissimas eius partes; indicatiuam, prognosticam, & curatiuam; quamobrem traditas eo in loco rationes in dictæ sententiæ cōfirmationem de nouo repetere opus non erit, quādoquidem nostrum est institutū duntaxat ostendere, argumenta à Ioanne Altimaro pro patris defensione proposita verissima esse, dictamq;

ctamq; artis medicę diuisionem non modò confirmare, sed à te propositam in indicatiuam, salubrem, & curatiuam, omnino destruere, tanquam à prima artis diuisione valde alienam. Quod ex adducto Galeni loco, com. 1. in librum Hippocratis de ratione victus manifestum fit, dum inquit. Qui ergo omnia, quæ ad medicinam spectant commoda, ea, vel ad dignotionem, vel prenotionem, vel curationem esse dixerit, virtute idem dicit: curatio siquidem perse à medicis exercetur, dignotio verò, & prenotio, propter curationem. Ex quibus Galeni verbis apertè constat, ex parte finis totius artis medicæ, qui sanitas est, artem ipsam generalissima sui diuisione rectè diuidi in dignoscitiuam, prognosticā, & curatiuam. Si enim omnia, quę ad medicinam spectant commoda ad dignotionem, prænotionem, & curationem referri debent, tanquam ad partes medicinę per quas id, quod commodum est humano corpori, acquiritur, nempe sanitas ipsa, quę artis finis est, sanè optima rationę generalissimę totius artis partes, quę à fine petuntur, dignotio, prenotio, & curatio erunt existimandę. Siquidem dum Galenus omnia medicinę cōmoda, quę in finem dirigun tur, ad eas refert, omnes etiam istas tres partes artis generalissimas ab ipso fine depromptas, neq; plures, aut pauciores con stituit. Nanq; cùm omnia includat commoda, nulla alia desideratur pars, neque illarum trium aliqua superabūdat. Adde, quòd totius artis scopus sanitas est, finis verò eius consecutio: consequimur autem sanitatem per dignotionem, prenotionē, atque curationem, sunt igitur dignotio, prenotio, & curatio, generalissimę artis partes, quæ à fine depromuntur. Neque in inconuenit quòd curatio per se à medicis exerceatur, quia im mediatiùs attingit finē, dignotio verò, atq; prenotio propter curationem, quia mediante curatione in finem tendūt: oportet enim qui velit curare, & notabilis efficatię remedio vti, affectum curandum cognoscere, & futurum euentum præuidere: sicque dignotio, & prænotio de necessitate in his, quę ad curationem idonea sunt, continentur, vt idem Galenus author est: respiciunt igitur eūdem finem, cuius respectu totius artis

Ars medica nō est diuidēda in indicatiuā, salubrē, et curatiuam.

Com. 1.

1. de vict. rat. in acutis. com. 3.

medice

medicæ generalissimæ partes vnà cum curatiua recensentur. Quòd autem eiusmodi diuisio leges optimæ diuisionis contineat, norunt qui prima logices rudimenta sunt adepti, inter quas hęc potissima censetur, quòd membra diuidentia æque totum compleant diuisum, ita vt superabundãs quid, aut deficiens in eis non comprehendatur, sicque ex membris diuidẽtibus ad diuisum, & ex diuiso ad membra diuidentia mutua valeat consequentia. Nam si totius medicinæ generalissimas partes, quæ à fine ipso petuntur, consideres, alias nullas præter dignotionem, prænotionẽ, & curationem inuenies, in his enim tota ars medica continetur, quæ mediatè, uel immediatè in morbi ablationem, seu in sanitatis consecutionem dirigitur, & dictæ partes vniuersam artem, quę diuisum est dictæ diuisionis, constituunt, & cõplent, à quo ad partes valet mutua consequentia: si enim medica ars est, necessariò dignoscitiua, prognostica, & curatiua erunt: vel è contrario, si dignoscitiua prognostica, & curatiua sunt, ars medica vt sit necesse est. Et id est quod dixit Galenus, omnia, quæ ad medicinam spectant, cõmoda, ea, vel ad dignotionem, vel prænotionem, aut curationem, tanquam ad generalissimas eius partes referenda fore: vbi medicinam generali nomine pro vniuersa arte accipit, nõ particulatim pro medicatiua, seu curatiua tantùm, vt tu existimas, dicens eo in loco Galenum de parte curatiua agere, & de hac etiam loqui Hippocratem in libri principio. Quod nullatenus ex eorum dictis colligi posse omnes intelligent, qui accuratè illorum scripta citatis locis perlegerint: nõ enim quia Galenus dixerit curationem per se à medicis exerceri, dignotionem verò, & prenotionem propter curationem, benè concluditur, quòd dignotio, & prænotio non sunt ad artis finem, & ex consequenti neque in totius artis partium numero, quæ à fine petuntur, connumerandæ. Non enim ibi Galenus excludit à fine dignotionem, & prenotionem, quia dixerit à medico exerceri propter curationem: & si enim curatio immediatius attingat finem, & dignotio, atque prenotio propter curationem, non ob id desinunt etiam in finem tanquam media

Diuisio artis medicæ in indicatiuã, prognosticã, & curatiuam, leges optimæ diuisionis continet.

Com. I. lib. Hip. de uict. rat. com. I. generali nomine vniuersa medicinæ ars sub medicinæ nomine cõtinetur, & intelligitur.

Dignotio, et prenotio nõ excluduntur ab artis medicæ fine.

 dirigi.

dirigi. Nisi enim curatio morbum auferret, neque ea, quæ ad curationem pertinent, id efficerent, quia autem aufert, etiã media ad dictum finem consequendum aliquid præstabunt. Neque quia Galenus dixerit, artificis scopum nõ esse nihil prætermittere eorũ, quę à plebe cognosci possunt, sed omnia scribere, quæ ad curationem idonea sunt, & ad finem artis conferunt, benè colligitur de parte artis curatiua loqui: quinimo eadem verba ostendunt ipsum agere de tribus dictis partibus, cum dignotio, & prænotio ad curationem conferant. Idq; manifestè declarat Galenus dum inferiùs inquit, cõiecturas, quę, tum ad dignotionem, tum ad prænotionem conferunt, non esse prætermittendas, cum de necessitate in his, quæ ad curationem idonea sunt, hæ contineantur. Non igitur dicto loco agit Galenus de sola artis parte, quæ curatiua nuncupatur: licet enim hæc immediatiùs respiciat finem, dignotio etiam, & prępnotio ad eundẽ finem properãt; ideoq; Galenus parũ infra dixit, neminem finem artis dignotionem, vel prænotionem, sicuti curationem asseuerare, curatio enim (non quæ fit, sed quæ iam facta est) morbi sublatio est, & dum fit, immediatiùs respicit artis finem, nempe morbi sublationem, quàm dignotio, vel prænotio, quæ ad curationem conferunt, & propter curationem finem attingunt. Sic enim verba illa Galeni interpretãda sunt; ex quibus minimè quod existimas sequi potest, Galenum nempe de sola parte curatiua eo in loco sermonem facere: quinimo de dignoscitiua, & prognostica agens, non ita immediatè in finem tendere, quemadmodum curatiua, eo in loco demonstrat. Non igitur licet admirari quòd Ioannes Altimarus locum exponens dixerit, partem curatiuam respectu finis, quem immediatiùs respicit, à medico principaliter esse intentam: dignoscitiuam verò, & prognosticam, nõ æquè exerceri, sed propter curationem, consonant enim hęc cum Galeni dictis. Si igitur consideres totius artis medicæ partes generalissimas, quatenus finem mediatè, vel immediatè respiciunt, proculdubio tres dictas totius artis medicę partes, quæ à fine petuntur, inuenies: si autem immediatè finem attingentes

Tres generalissimæ artis partes à fine mediatè, uel immediatè venãtur.

tes venaris, tunc vnã tantum esse medicatiuam reperies, quã generali nomine correctricem Galenus nuncupat: quæ rursus si magna, & notatu digna vitia corrigit, medicatiua: si verò parua, & quæ sensum effugiant, salubris nuncupatur. Quamobrẽ malè colligis, duas esse genericas, & vniuersales totius artis medicę partes à fine depromptas, curatiuam, & salubrem, cùm in genere vna tantùm sit curatiua, quæ sanitatem inducit; idque duobus efficit modis, vel curando affectum sensibiliter operationes lædentem, vel præseruando ne fiat, resarciendo, & in naturalem habitum reducendo quicquid minimum deperditum est, vel prohibendo ne labatur. Et hinc fit, quod generalis illa pars, quę correctiua, seu curatiua dicitur, in curatiuam (quę nomine generis gaudet, quia non est particulare nomen quod illi imponi possit) & in salubrem diuidatur, ita vt verum sit dicere ab inferiori ad superius, est salubris, igitur curatiua. Et quemadmodum curatiua dum iam facta est, morbi sublatio dicitur, finisque nuncupatur, & interim dum fit, in morbi sublationem tendit: sic salubris morbi imminentis sublatio vocatur, quando suum perficit opus, & interim dum operatur, in imminentis morbi sublationem tendit, sanitatem conseruans ne omnino labatur, & decidat. Et licet vario operandi modo salubris, & curatiua procedere videantur, in eundem profectò finem properant: nisi enim vnus, & idem vtriusque finis esset, sed duo extitissent, duæ essent artes medicatiuæ, quia verò ab omnibus vnus censetur finis, vna proculdubio erit ars medicatrix, seu curatrix, quæ & curatiuam, & salubrem comprehendat, & vna generalissima totius artis medicæ pars erit ab ipso fine deprompta: cùm verò dignotio, & prænotio, in eundem finem properent, licet non ita immediatè ac curatiua, hinc duę aliæ emergunt ex eodem fine generalissimę artis partes. Quare meritò prima generalissimaq; diuisione ars ipsa in dignoscitiuam, prognosticam, & curatiuam, tanquam in vniuersaliores sui partes, distributa est; quod comprobant omnia Galeni loca in Altimari opinionis confirmationem adducta, quorum sententias dum in tuæ corroborationem retor-

Curatiuã, et salubrẽ medicinam nõ esse generalissimas artis partes.

Salubris, & curatiua in eundem finẽ tendunt.

retorquere studes, non modò obscuras, verùm Galeno ipsi imponis dictis locis de sola parte curatiua agere, non animaduertens quòd hac ratione dignotio, & prenotio sub curatiua continerentur, ab eaque non essent distinctæ partes, sicque superfluè à te addita fuisset altera generalissima artis pars dignoscitiua, seu indicatiua nuncupata, sub qua prognosticam contineri existimas, & omnibus dictis locis sub curatiua Galenum dictas duas partes comprehendere credis. Quod quàm alienũ sit ab illius mente iudicent medici omnes, qui eius doctrinam interpretãtur: nullus tamen iudex esse poterit, cùm aduersus omnes tuam tueri opinionem contendas. Quamobrem te iudicem in propria re cõstituamus; & nisi proprius tuæ sententię amor te decipiat, si dialecticę finem consideres (qui nihil est aliud, quàm verùm à falso distinguere) inuenies ab ipso fine tres eius partes primas, & vniuersales venari, definitiuam, diuisiuam, & argumentatiuam; quarum, & si argumentatio immediatiùs finem respiciat, definitio verò, & diuisio mediatè, & propter ipsam argumentationem, non ob id desinunt esse generales ipsius dialectices partes. Et naturalis philosophiæ similiter ex fine primæ, vniuersalesque reperiũtur partes, quæ omnes, & si æquè finem non attingant, atque respiciant, sed aliæ mediatiùs, aliæ verò immediatiùs, omnes tamen in finem ordinantur, & à fine depromuntur. Par est ratio de medicinę artis partibus; indicatiua, prognostica, atque curatiua, quę omnes in sanitatem, tanquam in finem properant, & si curatiua immediatiùs finem attingat. Miraris quòd Ioannes Altimarus dignotionẽ, & prænotionem non esse partes significatiuę dixerit, sed potius generales artis medicę partes simul cum curatiuà, in quas vniuersa ars tanquã in primas diuidatur, quòdq; non fuerit animaduersus, licet dignotio, & prenotio sint partes omninò distinctę, in quadam tamen natura communi cõuenire, quatenus scilicet diagnosticę, & prognosticę communia signa sunt, & communis signi natura illis inest, signum id esse dicens, quod aliquid significat, et declarat, eoq; cognito aliud, quod ignotũ erat, deprehẽditur, sẽsui nãq; sese

1. de ra. uict. com. 1. et 17 de vsu part. et 1. metho. & in lib. de medici officina, & 6. de loc. pati. cap. 5.

ſeſe offerens in rei obſcuræ cognitionem nos ducit: ſicq; cùm eadem illis communis ſigni natura conueniat, concludere intendis hac ratione dignotionem, & prenotionem idem eſſe, vnamque generalem medice artis partem conſtituere, quam ſignificatiuam dicimus. Cæterum nō eſt cur in admirationem ob id ducaris, quoniam neque Altimarus vnquam negauit, in communi ſigni natura diagnoſticam, & prognoſticam conuenire, neque (& ſi id fateatur) ſequitur diagnoſticā, & prognoſticam vnam medicine partem conſtituere. Licet enim in generica ſigni ratione conueniant, quatenus ſigno vtuntur, in ſpecifica tamen ſignorum natura differunt: alia enim eſt ſpecifica ratio ſigni, quà dignoſcitiuum eſt, ab ea, quà prognoſticum nuncupatur: genericè enim ſigni natura vniuerſæ medicine arti competit, omnibuſque eius partibus, dignoſcitiuum verò ſignum ſic conuenit dignoſcitiuæ, vt quà dignoſcitiuū eſt, prognoſticum eſſe non poſſit: & prognoſticum ſignum ſic parti prognoſticæ proprium eſt, vt nunquam dignoſcitiuę conueniat. Neq; ex eo quòd Hippocrates prenotionē extendat ad præſentia, & preterita, quemadmodum & dignotionem, ſequitur idem eſſe prænotionem, & dignotionē: dignotio enim pręſentium, & præteritorū eſt, quatenus viſa ſunt; prenotio, verò preter hoc quod futurorum eſt, etiam circa pręſentia, & præterita verſatur, quæ tamen à prænoſcente viſa nō fuerint: ſicq; differens eſt ratio dignotionis, à prænotionis ratione. Neq; contrarium probat Galeni authoritas in primo commentario libri omnino genuini de medica officina, vbi nomine ſignificatiuæ partis videtur comprehendere dignotionem, & prænotionem, dum ex aliorum iuniorum medicorum ſententia nomen hoc vſurpatum fuiſſe aſſerit, tāquam commune ad dignotionem, atq; prænotionem: viderat enim probè Altimarus dictam ſententiam, & communi ſigni natura dignoſcitiuam, & prognoſticam medicinæ partem conuenire intellexerat: non tamē ob id ſequitur prognoſticam, atque curatiuam ſub deſcriptiua, quam ſignificatiuam iuniores vocant, tanq; ſub generali medicinæ parte contineri, ſed tanquā ſub generali ſigni ratione, quam

Licet in cōſigni natura diagnoſtica et prognoſtica medicinę pars conueniant, in ſpecifica tamen ſignorū natura differunt.

1. prog. te. 2

Dignotio, et prænotio nō ſunt idem.

quàm signorum descriptiua medicina continet, & signa in cõmuni complectitur, quibus non solùm morborum differentiȩ dignoscuntur, sed etiam quæ faciunt ad pręsagia. Nos tamen non venamur generales medicinę partes, quatenus generali signi natura, sed ab artis ipsius fine petuntur, cuius respectu probè vniuersa ars medica in indicatiuam, prognosticam, & curatiuam diuiditur. Si enim totum à te citatum commentum perlegisses, in calce diuisionem prædictam ab Altimaro de arte medica assignatam, ueram, germanam, & ex Galeni fonte exhaustam iudicasses, dum dicit, Meritò ergo Hippocrates iussit, vt morborum dignotiones, quas recentiores σημειώσεις, id est significationes, seu notiones appellant, ex similium, & dissimilium consideratione sumamus ante alia artis opera: quæ videlicet & præcognitione, & curatione fiunt. Quid clarius quàm ex hoc loco à Galeno medicinã in tres principalissimas partes diuidi, dignoscitiuam (quam libeat etiam significatiuã dicere) prognosticam, atque curatiuam? constat enim ex eiusdem sententia pręcognitionem per se medicinę partem constituere, quę sub indicatiua non comprehendatur. Sed adhuc cõtendis quę ab Altimaro dicta sunt de artis medicę diuisione in indicatiuam, prognosticam, & curatiuam, à Galeni doctrina aliena esse, cùm primo de sanitate tuenda vniuersam artẽ medicam in curatiuam, & salubrem diuiserit, dicens. Cum vna sit ars, quæ corpori hominis tuendo dicata sit, eius primæ, ac maximę partes sunt duæ, quarum alteram sanitatis tuendę, alteram morbi profligandi facultatem appelles: ex quibus verbis colligis, totam eo in loco artem diuidi, salubremq;, atq; curatiuam primas, & maximas artis partes esse, non autem partis particulas. Verùm si Galeni dicta perpendisses, Altimari diuisionem non damnasses: non enim citato loco vniuersa ars medica, sed vna eius pars curatiua diuiditur, ea enim vna est ars, quæ corpori hominis tuendo fuit dicata, cuius primę, & maximæ partes sunt duæ, quarum altera sanitatis tuendę, altera verò morbi profligandi facultas existit, vtroq; enim modo curatiua medicę artis pars procedit, salubri parte sanitatẽ pręsentem seruans,

1. de sanita. tuen. in principio vna pars medicinæ curatiua in salubrẽ, & curatiuã diuiditur, non autem tota ars.

seruans, & curatiua amissam restituens. Neq; ex eo quod Galenus dixerit vnam esse artem, quæ corpori hominis tuendo dicata sit, sequitur de vniuersa arte medica loquutum fuisse, nã hac ratione diminuta esset diuisio, cùm non cõprehendat partem dignoscitiuam, & prognosticam, quę sub vniuersa arte medica continentur; quod inconueniens nõ sequitur, si de artis parte curatiua diuisio intelligatur, quæ ars etiam vt suum genus nominatur, & hęc vna cùm sit, duas primas, ac maximas partes obtinet, salubrem, & curatiuam, quæ nomine generis gaudet, cum nullum aliud sit aptum nomen, quo possit nominari. Curatiua igitur, & salubris tertiam artis medicæ partem curatiuam etiam nominatam diuidunt, illiusq;, nõ autem totius artis, membra sunt diuidentia; cumq; vna præcipua lex sit optimæ diuisionis, vt diuidentia membra totum diuisum cõplectantur, eam maximè obseruant, pars enim salubris, & curatiua, totam partem curatiuam, quæ totius artis medicæ tertia pars recensetur, comdrehendunt; hanc enim partem, quę diuisum est prædictę diuisionis, probè Altimarus cum Galeno correctricem appellauit, quæ dum magna vitia corrigit, correctiua, dum verò parua, sensumque subterfugientia, salubris dicitur; & sic constituuntur duo ista membra diuidentia, quæ totam artem correctricem corpori hominis tuendo dicatam tanquam vnam ex tribus generalissimis totius artis medicæ partẽ complent. Et licet Galenus dicat salubris, & curatiuæ diuersa esse officia, siquidem illi tueri, huic immutare statum corporis est propositum, quia tamẽ vtriusq; scopus vnus sanitas est, finisq; vnus, nempè eius consecutio, & si ad sanitatem obtinẽdam, atque seruandam contrarijs officijs procedamus, nõ ob id sequitur salubrem, & curatiuam sub parte medicinę, quę curatrix, vel correctrix dicitur, non contineri, vna enim est sanitas, quę etiam vna medicinæ parte correctrice, seu curatrice acquiritur, licet modi acquisitionis multiplices sint. Quod verò in dubium vertis ex Galeni mente, cur sub nomine medicatiuę comprehendatur salubris, cùm ars medica sic nominetur, quia sanat morbos, & cum eodem Galeno respondes, primo fuisse

Li. ad Thra. cap. 40.

1. de sanita. tuen. c. 1. licet diuersa sint officia salubris, & curatiuę, nõ tamen est diuersus finis.

Gg in-

institutam curatiuam, quia magis vrgebat, postea verò maiori ocio salubrem additam, & inuentam, & totam artem curatiuã, quatenus in has duas partes diuiditur, à parte primò inuenta nomen sumpsisse, vnde infers, quęstionem prædictam de vniuersa arte non autem de artis parte, fuisse propositam, ideoq; dixisse à prima constituta parte, vt vniuersa ars corporis gubernatrix diceretur effectum esse. Profectò tale dubium multò aliter explicandum venit, quàm tu exponis, quinimo si perpendas Galeni verba, ex ipsis colliges responsionem pro Altimari defensione, dum inquit huiusce rei causam fuisse, quoniam cũ prima totius artis pars curatiua quòd & maximè vrgeret, constituta sit, deinde per multum otium conseruatiua, salubrisq; vocata ei adiecta fuerit, totã artem à pręcipua magis parte denominari contingit: quod idem est ac si dixisset (vt sonãt eius verba) primam totius artis partem curatiuam propter vrgentem morbum inuentam fuisse, vt eius beneficio morbus depelleretur, sanitasque, tanquam exoptatus finis, acquireretur: tamen quia non tantùm morbum depellere satis erat ad perfectè finem consequendum, sed oportebat sanitatem ipsam firmiorem reddere, bonumque corporis habitum, in quo consistit, conseruare, ne cõtinuo fluore decidat, maiori otio primæ totius artis parti medicatiuę nuncupatę adiecta fuit salubris, non tanquam ab ea parte differens genus, cum eiusdem cum illa rationis sit, & solùm maioris, minorisque ratione differãt, quatenus maiora, minoraue vitia corrigunt: hincq; fit totam artem curatiuam (quę prima totius artis medicæ pars est) cùm in curatiuam, & salubrem partiatur, à pręcipua eius parte primò inuenta denominari, quemadmodum & in alijs plerisque fieri assolet, ideoq; à prima constituta parte, vt & ipsa tota corporis gubernatrix ars medicina, ipse verò artis professor medicus nominaretur tempore procedẽte effectum est. Quamobrẽ nõ solùm quispiam interrogatus cuiusnam artis salubris pars sit, aptè respondebit curatiuę partis esse partem, sed medicinæ etiam respondere poterit: latiùs nanq; fuso, & amplificato vocabulo Hippocrates, alijque suę tempestatis doctissimi viri pro medi-

Ga. uerba li. ad Thr. c. 26 multo aliter explicanda, quã à Saluo exponũtur: similiter, & lib. ad Thr. cap. 40.

medicina non solùm partem curatiuam, seu medicatiuam intellexerunt, sed integrã humani corporis artem significarunt; cuius, cùm ars curatiua pars dicatur, ipsius artis curatiuę duas maximas partes cognouerunt, curatricem scilicet, atque salubrem. Quibus verbis Galenus non significauit totius artis medicæ duas maximas partes esse curatiuam, & salubrem, cùm alibi tres statuerit: sed dũtaxat partis medicatiuæ, quę etiam ars vt vniuersa medicinæ facultas nũcupatur, & in dictas duas maximas partes curatiuam, & salubrem probè diuiditur. Sic etiã intelligenda sunt verba Galeni libro ad Thrasybulum dum inquit, in arte corporis presidē, si quis eã partiens inuenire partes quęrat, ægros curantem medicatiuam, sanis consulentem salubrem appellabit: non enim in genere tota ars medica diuiditur, sed in specie ea ratione, quã diuisa fuit primo de sanitate tuenda, vt latiùs prima depulsione monstrauimus. Quæ verò traduntur à Galeno libro ad Thrasybulum non probant totam artem medicatiuam in genere diuidi in curatiuam, & salubrem, sed totam artem curatiuam in specie, prout vna est ex tribus partibus artis medicæ, quæ eundem cum alijs, finẽ respicit, sanitatem nempe, licet immediatiùs quàm pars dignoscitiua, aut prognostica illum rèspiciat. Quod si dictis rationibus non conuinceris, conuincaris saltem communi dialecticorum regula, quã dicitur, Quãdo alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quęcunq; de prædicato illius dicuntur, omnia etiã de subiecto dici oportere, vt si homo dicitur de Petro, & animal de homine, animal quoq; de Petro dici debet, & verum erit dicere, Petrus est animal: pari modo, si medicina de parte medicatiua, vt pars est artis medicæ, dicitur, & pars medicatiua de salubri, proculdubio vt medicina de salubri quoq; dicatur necesse est, sicq; optima ratione salubris ars medicina dicetur, & artifex eam exercens medicus nuncupabitur, prout in genere ab vniuersa arte nũcupari solet. Non est preterea quòd Altimarum damnes, quia medicinæ partes, dignotionem, prænotionem, & curationem vocauerit, sępius enim actionem pro facultate, & facultatem pro actione accipimus, & dum modo

Pro medicina non solum pars medicatiua, sed integra humani corporis ars intelligitur.

cap. 40.

cap. 4.

cap. 3.

In ante prædicamentis, cap. 5.

Actio pro facultate, et facultas pro actione sæpius accipitur.

res intelligatur, hoc, vel illo nomine nuncupetur nihil refert, vt sæpissime Galenus proclamat. Cùm verò reliqua in primo apologię capite proposita nihil aduersus Altimari rationes cõcludant, aut pro tuæ opinionis defensione faciant, ea confutare opus non erit; satis.n. est, in prima depulsione veram totius artis medicæ partitionem in indicatiuam, prognosticam, & curatiuam cõprobasse; nunc verò pro Ioannis Altimari verissimarũ rationum defensione hęc scripsisse. Neq; disputare expedit vtrum alia loca citata pro tuę diuisionis cõprobatione sint Galeni empiricum agentis, vel in libro spurio proposita, cum plurimæ illius authoritates à nobis fuerint adductę, quę passim in proprijs libris, in quibus rationalẽ agit medicũ, reperiũtur, ex quibus vera colligitur diuisio totius artis medicę in primas, generalissimasq; eius partes, quę à fine artis petũtur, diagnosticã nẽpè, prognosticã, atq; curatiuã, quæ rursus in alias inferiores medicinæ partes diuidũtur, vt curatiua in salubrẽ, & curatiuã, & hę in alias, donec ad vltimas, quę amplius diuidi nequeũt, deuentum sit.

QVOD IN INDICATIONE SVMPTA A VIRtute non sit ex parte indicantis aliquid nocens, sicut in indicatione à morbo.

DEFENSIO SECVNDA.



EX tribus à Galeno indicationis assignatis descriptionibus primam in genere omnibus indicationibus cõuenire quinta depulsione diximus, eamq; agendorum insinuationem Galenum vocare, aliterq; in specie indicationẽ describere per contrarietatem, cùm eam esse comprehensionem iuuantis simul cum cõprehensione nocentis aduenientem sine obseruatione, ac ratiocinio affirmauit, à morboq; sumi huiusmodi indicationem exposuit: quemadmodum & eam, quæ à virtute sumitur, per aliã in specie indicationem ab ipso descriptam, dum eam tunc demum esse asserit, qñ rebus percipiendis simul quod confert percipitur absq; obseruatio-

2. Meth. c. 7 et li. de opt. sect. cap. 11.

Citato loco.

uatione, & ratiocinio: quę cùm diffusè à nobis fuerint exposita noua explicatione nõ indigent. Ex rationibus autẽ illic propo- tis facilè intelliges, in indicatione sumpta à virtute nullatenus ex parte indicãtis aliquid nocens reperiri posse: cùm.n. virtus sit, quę indicat, si in ea aliquid nocens esset, eius, quod nocens est, ablationem indicaret, sicq; indicatio, quę à virtute sumitur, confunderetur cum ea, quę à morbo expetitur: quod quàm ab surdum sit, oẽs norunt, qui intellexerunt morbũ sui ablationẽ, virtutẽ verò sui custodiam postulare. Quãobrem miror Salue. doctissime, quòd tuę sententię adeò sis addictus, vt non modò eã tueri totis viribus contendas, sed in Ioannem Altimarũ pro patris doctrina pugnantẽ calumnias iactes, cuius verissimas ra tiones potiùs amplectẽdas, quàm damnandas existimo, ideoq; eas iã tueri aggredior. Primum illi imponis, non modò circa tuã, sed circa parentis de indicatione positionẽ fuisse deceptũ, eãq; ob causam neutrã intellexisse. Videamus igitur quo pacto tuã positionẽ non perceperit, cũ apertè dicas in viriũ indicatio ne aliq̃d nocens reperiri, quã positionẽ vt falsam redarguit: pa ter verò in viriũ indicatione nihil noxium inueniri affirmat, ideoq; eius sententiã non solũ amplectitur, sed verissimis rõni- bus, & Galeni authoritatibus cõprobat, quarum genuinũ sen- sum retorques. Et vt ordine, quę à Ioãne Altimaro in tuę de in dicatione doctrinę cõfutatione dicta sunt, examinemus, hinc initium sumamus. Eum redarguis, quòd definitionẽ indicatio nis à Galeno 2. methodi traditam (dum inquit esse agendorũ insinuationem) non definitionem rei, sed potiùs quid nomen indicationis importet, explicãtem esse dixerit. Quòd definitio non sit, ex eo constat, quia per genus, & differentiã non tradi[illegible]. esse autẽ descriptionẽ nominis magis, quàm rei, ex Galeno col ligitur, dum per aliud nomen, quid indicationis vocabulũ im- portet, exponit, quãdo emphasim ipsam indicationem vocat, emphasis enim apud gręcos significat apud latinos alicuius rei reprę sentationẽ, seu insinuationẽ, aut simulacrum, ut probè ex Budeo in tuis cõmentarijs docuisti. Nõ negabis ꝓfectò logicę descriptionẽ quid nominis appellari, qñ logicã sermocionalẽ

In indicatione à virtute nihil noxiũ ex parte indicantis reperiri.

cap. 7

Cum indicatio dr̃ agendorum insinuatio, descriptio est nominis potiùs quã rei. Fol. 128.

scien-

sciẽtiã, vel artẽ esse dicimus, à verbo enim gręco, logos, quod sermonem latinè importat, sermocionalis illa nũcupatur; quarè descriptio illa nominis, non rei proculdubio erit: pari modo emphasis græcè, latinè idem quod insinu atio, vel repręsentatio eorum, quę agenda sunt, significat, ideoq; descriptio etiam erit quid nomẽ importet explicans: sicq; in genere indicatio nihil est aliud, quàm agendorum insinuatio, vel repręsentatio. Quarè merito Ioannes Altimarus pro patre respondens teipsum redarguit, quòd de indicatione edisserens eam accipias descriptionem, quæ potiùs nominis significationem, quàm rei naturam explicat, quam notam vt subterfugias, in apologia fateris
cap. 7 quidem indicationis descriptionem secundo methodi à Galeno fuisse assignatã sumpta occasione à nominis ethymologia, cęterum non solùm significare quid nomen importet, sed etiã rem per nomen significatam; quasi nomina aliquando res nõ significare intellexisses. Quod quidem absurdissimũ esset, nullum enim nomen est, quod rebus ipsis impositum non fuerit; quia enim res ad disputationem ducere non possumus, nominibus vtimur loco rerum. Quare malè concludis ex hoc, quod nomen indicationis rem significet, non modò Argenterium, Valeriolam, Vegam, aliosq; doctissimos medicos, verùm Galenũ ipsum eã descriptionẽ, quã ex vocabuli ethymologia hauriri concessisti, potiùs quid rei, quàm quid nominis existimasse: quasi non intellexissent quantum discriminis inter nominis, & rei descriptionem dialecticæ professores assignare soleant. Neq; oportebat tot paginas implere ex his, quæ in commentarijs à te antea dicta fuerant de indicatione, vt quę, neq; doctissimi viri, neq; Galenus ipse vnquam somniarunt, demonstrares: nunquam enim ex illorum doctrina colligere poteris agendorum insinuationem, seu repręsentationem, realem descriptionem esse indicationis, sed tantùm significare quid nomen importet: cùm autem nomen rem significet, etiam ipsius nominis explicatio rem significabit, verùm illius rei per nomen significatæ nunquam veram quiditatem, & essentiam acquires, nisi per realem, & essentialem descriptionem, seu diffinitionem

eam

eam adipiscaris: multùm igitur differt nominis, aut rei descriptionē nominare. Neq; quia Galenus dixerit, ad inueniendū aliquid per indicationem ex rei natura exordiri oportere, sequitur quòd prædicta descriptio indicationis sit rei, & nō nominis, non enim dixit ab indicationis, sed ab ipsius rei indicātis natura incipiendum esse. Etenim humanum corpus circa quod medica ars versatur, à medico consideratur quatenus sanitate, aut morbo fruitur, sanitatis igitur, & morbi natura perpendi debet, intelligereq; oportet sanitatem esse symmetriam siue debitam, & secundùm naturam totius humani corporis constitutionem, vel inculpatæ actionis causam: morbum verò esse ametriam, vel causam vitiatæ actionis, aut humani corporis præter naturam constitutionem, per omnia enim morbus sanitati opponitur, quare erunt amborum cōtrariæ rationes, cōtrariæq; naturæ: cumq; sanitatis natura proficiens sit, morbi natura erit nocens, sanitas igitur postulabit sui conseruationem, quia est secundùm naturam: morbus verò indicabit sui ablationem, quia est præter naturam: ideoq; incipientes à rei indicātis natura ea cognita facili negocio quod sequēs est (postulatum nempe) comprehēdemus, atq; indicatione inueniemus. Non igitur Galenus sic dicto loco agit de indicationis natura, vt colligi possit, descriptionem indicationis ibi traditam rei esse explicationem, quanquam nemo sit, qui neget nomina imposita fuisse ad res significandas. Attamen deueniendo ad explicationem descriptionum indicationis, quę traduntur à Galeno libro de optima secta, primam, qua inquit esse comprehensionem iuuantis simul cum comprehensione nocentis aduenientem sine obseruatione, aut ratiocinio, cum secunda coincidere dicis, qua tum demum esse indicationem asserit, quando rebus percipiendis simul, quod confert, percipitur, ambasque ex parte rei indicantis aliquid noxium significare, comprehendereq; non solùm indicationem, quę à morbo, sed etiam eam, quę à viribus sumitur, in qua ex parte virium nocens reperiri affirmas. Has tuas positiones Ioannes Altimarus efficacissimis rationibus confutauit, & nos etiā in nostris depulsio-

2. Meth. c. 2

Sanitas quid sit.

Morbus qd sit.

cap. 11.

De pulf. 5.

depulsionibus quantùm à veritate deuient, abunde disputauimus: nunc autem argumentis in earum confirmationem traditis pro Altimaro satisfacere intendimus. Primo autem animaduertis Galenũ undecimo capite libri de optima secta nihil aliud intendere, quàm ea, quæ superius dicta fuerant de indicatione, experientia, & analogismo, docere, dum inquit. Quomodo itaq; ex indicatione vtile percipiatur supra propositum est, in pręsentia verò dictorum cuiusq; descriptionem explicabimus; sicq; incipiens ab indicatione, eius difinitionem ex pręd dictis concludere asseris, dum inquit. Est igitur indicatio iuuãtis comprehensio simul cum comprehensione nocentis adueniens sine obseruatione, aut ratiocinio. Sed quorsum istæc ex Galeno proposuisti? aut ad quid, quæ ab eo de indicatione, obseruatione, & analogismo capite decimo fusè dicta sunt, transcripsisti? Respondes id factum fuisse, vt ex dictis percipiamus rationem, qua vtilia ex indicatione capiuntur, non esse aliam, quàm quòd sumatur à nocente tanquam ab indicante, ex quo vtile eius contrariũ postulatur: vnde infers, nõ solùm in indicatione à morbo, sed in ea, quę à virtute sumitur, Galenum voluisse semper ex parte indicãtis noxium reperiri, & ratione cõtrarietatis vtile indicari. Cæterum errandi, & male inferendi occasionem prębuere Galeni verba non probè intellecta: non enim ex eo, quòd Galenus monstrauerit, & supra exposuerit; quomodo ex indicatione vtile semper percipiatur, sequitur rẽ indicantem semper nocentem fore, siquidem ex re indicante proficiente, vel nocente, quod proficiuum est mõstratur, & ob oculos ponitur; ideoq; Galenus ipse superiùs sępius monuit; in indicationibus semper ab indicantis natura exordiri oportere, & ab illa, quod expediens futurum sit, inuenire: cum verò in corpore humano sanitas, & ægritudo indicantia sint, eorũ naturæ perpendendæ, & ab ipsis quod expediens sit inueniendum: at quia sanitas, & ægritudo contraria sunt, si sanitas est secundùm naturam, erit ægritudo pręternaturam, quod autẽ secundũ naturam est, proficuũ proculdubio erit, & quod præter naturã, noxium. Habemus igitur sanitatẽ esse proficientẽ, quæ

Explicãtur Ga. uerba li. de opt. sect. c. 11. de indicationibus.

quæ est vna ex rebus indicantibus, hæc autem expostulat quod proficuum est, nempe sui cõseruationem. Ergo in indicatione, quæ sumitur à sanitate tanquam à re indicante, nunquam nocens reperitur, & per consequens neque in indicatione à virtute, quam tu eandem esse cum indicatione à sanitate omnino fateris. Vides igitur quomodo Galenus ex parte rei indicatæ semper quod vtile est percipi affirmauerit, non tamen ex eius dictis sequitur rem indicantẽ semper nocentẽ necessariò fore, cùm sanitas, quæ etiam vt morbus indicans res est, semper proficiat: à morbo igitur quà nocens est, indicatur sui ablatio, quę vtilis res est: & à sanitate, vel virtute quà vtilis est, monstratur sui conseruatio, quam etiam vtilem esse nemo est qui ignoret. Hanc autem fuisse Galeni sententiam declarant verba eius à te adducta, per quæ intendis probare, nocens in sanitate, & viribus, quemadmodum & in morbo reperiri, dũ ponit exemplũ indicationis à similitudine animantium ratione carentium, quæ æstum, algorem, semelque omnia nocere valentia, quoad fieri potest, vitare conãtur, simul eo, quod iuuat, sese offerente. Paxillo enim inquit, aut aliquo alio in membrum defixo, nullus cogitatione premissa reuellit. Quod quidẽ exemplũ potius indicationem à morbo, quàm à sanitate depromptam ostendit: dictis enim verbis Galenus monstrat animantia, dũ nimio æstu labefactantur, & à proprio, & quòd secundum eorum naturam est temperamento dilabuntur propter causam extrinsecus occursantem, quæ solis feruor est, ac nimius ab eo procedens calor, non minus conari ipsum nocẽtem calorem vitare, simul eo, quod iuuat, sese offerente, nempe loco vmbroso, & frigido, quo calorem nimium, qui illis est præter naturam, expellant, quàm vbi paxillo in membrum defixo nulla præmissa cogitatione reuellunt. His autem verbis tua bona pace non ostẽdit, in indicatione à sanitate, vel viribus, nocens contineri; nunquam enim à sanitate quà sanitas, aut à uiribus quà uires, quicquam noxium in animalibus consideratur, ratione cuius utile comprehendatur: sed ab eo, quod in illis est preternaturam, nempe à nimio calore, cùm per frigus temperantur, vel à

In indicationibus non semper res indicans est nocens.

Lib. de opt. sect. cap. 10.

nimio frigore, cum per calorem, à quo iuuamentũ suscipiunt; sunt enim contraria, quæ mutuo in se agunt, & patiuntur, animantiumq corporibus modò vtilia, modò inutilia deprehenduntur, dum vel illa reducunt ad debitam, & secundùm naturam temperiem, vel ab ea recedere faciunt, aliamq præter naturam inducunt. At quia sanitas, & vires cum optima temperie seruantur, & custodiuntur, quæ illis propria, & similis est, inde fit, vt ab illis sumatur indicatio. Ex dictis sequitur primã descriptionem ei conuenire indicationi, quæ à morbo sumitur, velut à nocente, quod indicat sui ablationem, tanquam quid iuuans: cùm autem sub ea contineri non possit ea indicatio, quæ a sanitate, vel viribus venatur, aliam subiungit descriptionem, vel viribus propriam (vt in nostris depulsionibus cõprobauimus) seu vtriq; indicationi communem, vt Altimarus exposuit: Ea autem tunc demum est, quando rebus percipiendis simul quod confert absq; ostensione, & obseruatione percipitur. Hanc enim descriptionem communem esse tũ his, quæ indicant sui ablationem, tum his, quę sui custodiam exposcũt, asserit Altimarus, dicens cum indicantibus (quod Galenũ intelligere inquit per res percipiendas) simul & quod confert, percipi, nempe ipsum postulatum, & quæsitum; quoniam cognita natura, seu essentia rei indicantis, modò morbus, aut sanitas sit, confestim percipitur id, quod confert, tam si conferat pro sublatione eius, quod præter naturam est, quam pro tutela, & conseruatione eius, quòd secundùm naturã existit. Hanc patris expositionem confirmauit Ioannes Altimarus authoritate Galeni libro nono de medendi methodo, quo in loco asserit, vires vnum semper indicare, nempe sui custodiam: quod cõmune, & ægris, & sanis esse primo de ratione victus asseruit: vires enim prima sui indicatione quomodocunq; se habeant in omnibus corporibus quomodolibet affectis, vnum perpetuò, nempe sui conseruationem exposcũt. Quod confirmauit Galenus primo de elementis, vbi de virium robore loquens dicit. Quod verò deperditur nequaquam per oppositam qualitatem reparatur, cùm opus sit, vt id, quod reparatur, sit priori, deperditæq;

Depulს. 5.

Lib. de meden. febri. parte prima fol. 748.

cap. 15.

Com. 44.

cap. 7.

ditæq; substantię quam simillimum, siquidem in illius locũ reficiendum est in animante, atq; hoc ipsum, nutriri inquam corpora, ex quadam nimirum substãtia fit illi simili, quę priùs fuerat euacuata. Quòd si in sanis, & ægris semper vires postulant sui custodiam, in viribus nihil noxium, & præter naturam cõtinebitur: si enim quid contineretur, sui ablationem proculdubio postulasset. Tu verò vt clarissimas has rationes subterfugias, relicta rei cognitione ad nominum explicationem te cõfers; nihil enim refert, siue in secunda descriptione indicationis dicatur tunc esse indicationem, quando rebus percipiendis, seu quando percipiendo res, simul & quod confert percipitur; idem enim vtroq; modo significatur per pręsens temp⁹, & futurum. Si enim dicas indicationem esse, quãdo rebus percipiendis (idest in sua natura, à qua indicatio sumitur, cognoscendis) simul cum cognitione naturæ, quod confert percipitur, nempe vtile, quod postulatur per indicationem, rectè dixeris: non enim ante quàm rei indicantis natura cognoscatur, vtile, quod ab illius cognitione uenari debet, deprehenditur, sed quando cognita est, simul quod ab ea postulatur fit manifestum. Sicq; in rerum naturis futuro tempore cognoscendis intelligit Galenus (vt Altimarus exponit) dum cognoscuntur, simul cum cognitione utile, quod postulatur, deprehendi: quod idem protinus intelligitur, si participium καταλαμβανόμενον à uerbo καταλαμβάνω deductum, sit pręsentis temporis, & interpretetur, quod sit indicatio, quando percipiendo res, vel dum percipientibus res, simul occurrit, & percipitur quod cõfert, quocunq; enim modo græcæ linguæ peritissimi viri, quos consului sti, id interpretentur de futuro, vel de pręsenti, vera erit Altimari dictæ descriptionis expositio, quam cum prima coincidere est impossibile, quæ solùm indicationem à morbo sumptam exponit, in qua ex parte morbi indicantis aliquid nocens reperitur: secus autem res habet in indicatione à viribus, in quibus dum corpora sana sunt, vel ægra, nunquam aliquid nocens reperiri posse ex Galeni mente comprobauimus. Et licet Altimari expositio ostendat, descriptionem secundam indicationis

communem esse ei, quæ à morbo, & ei etiam, quæ à virtute su-
2. Meth. c. 7. mitur (quod tu libenter fateris) quia tamen Galenus generi-
cam, & communem tradiderat, cùm indicationem esse agēdo-
rum insinuationem profitetur, & in specie indicationē à mor-
Lib. de opt. sect. cap. 11. bo sumptam proposuerat per contrarietatem, quando dixit,
indicationem esse comprehensionem iuuantis simul cum cō-
prehensione nocentis aduenietem sine obseruatione, & ratio-
Eodem lib. & capite. cinio, & fuisset superfluum nouam aliam assignare communē
descriptionem vtriq; indicationi, ideo tertiam indicationis de-
scriptionem non communem, sed propriam indicationi, quæ
à viribus sumitur, in quinta nostra depulsione per similitudi-
nem esse diximus. Cùm enim indicatio tunc dicitur esse, quan-
do rebus percipiēdis simul quod confert percipitur, clarè mō-
stratur dictam descriptionem esse solùm indicationis à virtute
sumptæ: nam si res percipiendæ, idest per indicationem acqui-
rēdę (quę sunt ipsa postulata, seu quæsita) perpetuò vtiles sunt,
& cum illis, simul quod confert percipitur, nempe ipsum indi-
cans, proculdubio dicta descriptio propria erit indicationi,
quæ à viribus sumitur, quoniam nullum est indicans vtile, &
proficiens nisi ipsa virtus, aut sanitas, sicq; indicatum, seu po-
stulatum, quod vtile est, per similitudinem infert ipsum indi-
cans, nempe virtutem, quæ vtilis etiam existit. Hæc autem ex-
positio consonat, & rei veritati, & literæ contextui, tollitque
omnem ambiguitatem: cùm enim contextus literæ de futuro
tempore proferatur, dum per eum significatur, tūc demum es-
se indicationem, quando rebus percipiendis simul quod con-
fert percipitur, per res percipiendas per indicationem probè
intelliguntur postulata, seu indicata, quæ indicātur, & per ip-
sam indicationem percipiuntur, ideoque vtilia semper sunt,
& ex eorum vtilitate, quia per similitudinem, non autem per
contrarietatem postulatur, sequitur, & simul percipitur quòd
ipsum indicans vtile etiam erit: sed nō potest esse vtile aliquod
indicans, nisi quod est secundùm naturam, quod autem secun-
dùm naturam est, sanitas, vel virtus est, ergo dictę indicationis
descriptio eius dūtaxat erit, quę à sanitate, vel virtute sumitur,

non

non autē eius, quæ à morbo venatur. Sed dices ex Galeno loco citato, quòd ex rei natura exordiri, atq; ab ea, quod sequēs sit citra experientiā inuenire, id est indicatione inuenire; quarè videtur in indicatione semper incipiendū à natura indicantis, vt ab ea, quod indicatum, vel postulatum est, elici possit: nō autem à natura indicati, quæ præsupponit naturam indicantis, sicq; aduersus nostram positionē concludes, fieri non posse, vt à natura indicati, quod semper vtile, & proficiens est, ipsum indicans nō modò vt vtile, sed neq; vt indicans cognoscatur. Cui dubio tibi ipsi satisfacies, si in memoriam reuoces simile, & dissimile relatiua ab Aristotele vocari, simile enim ad simile, & dissimile ad dissimile respectum dicunt, & ille respectus vnius rei similis ad aliam rem similē dicitur relatio, quæ habet fundamentum in re à qua incipit, & terminum in re in quam terminatur: quemadmodum in relatione patris ad filium, dū relatio procedit à patre, dicitur pater fundamentum relationis, & filius terminus in quem terminatur, & finitur ipsa relatio, totus autem ille respectus à fundamento in terminum relatio nuncupatur. Par est ratio in indicatione, quæ incipit à re indicante tanquam à suo fundamento, & terminatur in rem indicatam tanquam in terminum, & totus ille respectus à re indicante vsque in indicatam indicatio nuncupatur: & qua ratione relatio illa inter patrem, & filium, dum incipit à patre, & finitur in filium, habet patrem pro fundamento, & filium pro termino, dum verò eademmet relatio incipit à filio, & terminatur in patrem, habet pro fundamento filium, & pro termino patrem, sumpta similitudine à via, quæ nos ducit à Thebis ad Athenas, quæ eadem cùm sit, diuersis modis considerata, quod modò est illius ptincipium proficiscenti à Thebis ad Athenas, fit finis redeunti ad Athenis ab Thebas: eademmet ratione in indicatione sumpta à viribus tanquam à re indicante, in earum conseruationem, vt in rem indicatā, quia per similia procedit, vires erunt fundamentum ipsius indicationis, & earum cōseruatio erit terminus, & ille respectus

In præd. c. de relat.

Relatio quæ dicatur.

virium

virium ad conseruationem erit indicatio ipsa, qui quidem respectus, seu indicatio, dum procedit à viribus tāquam à re indicante, & terminatur in conseruationem tanquam in rem indicatam, habet vires pro fundamento, & cōseruationem pro termino: dum verò procedit à conseruatione in vires, habebit cōseruationem pro fundamento, & vires pro termino, sicq; eædēmet vires diuersis rationibus, & fundamentum, & terminus esse poterunt; fundamentum autem indicationis est res indicās, termin⁹ verò res indicata, vires igitur in eadē indicatione diuersis rationibus, & indicans, & indicatum esse possunt. Quarè dum in descriptione secunda Galenus dicit, indicationē esse quando rebus percipiendis simul quod cōfert percipitur, probè interpretati sumus descripsisse indicationem à viribus, quæ vt diximus, quidam respectus est inter vires, & conseruationē, & dum consideratur vt procedit à virtute, & finitur in cōseruationem, virtus erit indicans, & conseruatio indicatum: dū verò perpenditur vt profluit à conseruatione, & terminatur in virtutem, conseruatio, quæ antea erat indicatū, vel postulatum, fiet indicans, seu postulans. Et hoc modo accipitur in dicta descriptione, dum in rebus percipiendis, seu per indicationē acquirendis (quæ vtilia semper esse omnibus manifestū est) simul & quod confert percipitur, nempe virtus, quæ est res indicans illam vtilitatem, eademq; interim dum indicatur à conseruatione, fit res indicata. Cùm enim relatiua dicantur ad conuertentiam, mutuò sese inferunt, sicq; virtus cùm sit quid secundùm naturam simile conseruationi, infert statim conseruationem sibi similem per indicationem, velut per quadam relationem, & respectum vnius rei similis ad aliam rem similem: & cōseruatio similiter cùm sit quid secundùm naturam virtuti simile, seu sanitati conseruandę, infert statim sanitatem, vel virtutem conseruandam, quæ etiam secundùm naturam, & conferens res est. Rectè igitur erit indicatio virtuti conueniens, quādo in rebus vtilibus per indicationē acquirēdis simul id, quod confert, & vtile est, percipitur; Quod per similitudinē fieri necesse est, alioquin res indicata, quæ semper proficiens est, nunquam

Lib. de opt. sect. cap. 11.

Ex Arist. li. præd. c. 4.

quam indicaret quod secundùm naturam, & proficiens etiam existit: secus autem contingere videmus, nam si vice versa accipias sublationem vt rem indicantem, & morbum vt rem indicatam (in relatiuis enim id fieri cõtingit) proculdubio iam sublatio morbi erit quid cõferens, & vtile, ac secundùm naturã, quæ infert postulatum, nempe morbum, qui est quid nocens, & prȩter naturam, per contrarietatem auferendum, & sic, modò sublatio morbi sit res indicans, modò vero indicata, semper indicationi à morbo (quæ est velut relatio quȩdam) conuenit esse comprehensionẽ iuuantis simul cum comprehensione nocentis, quia est inter extrema contraria, quorum alterum est prȩternaturam, nempe morbus: alterum verò secundùm naturam, morbi scilicet sublatio. Pari ratione modò sanitas, vel uirtus sit res indicans, modò uerò sit res indicata, semper indicationi à sanitate, vel virtute (quæ etiam relatio quȩdam est) conuenit esse comprehẽsionem vnius rei iuuantis simul cum comprehensione alterius etiam rei iuuantis, quia sit inter extrema similia, quȩ ambo sunt secundùm naturam, & ex consequenti iuuantia. Virtus enim, secundùm naturam est, quocunq; modò existat, & ideo iuuans eo modo, quo potest, nullaq; ratione nocens: & conseruatio similiter est secundùm naturam; & iuuans, quarè cum illa relatio, seu indicatio, perpetuò versetur inter extrema iuuantia, semper in rebus per illam indicationẽ percipiendis quod confert, & vtile est, percipitur, tam ex parte rei indicãtis, quàm ex parte rei indicatæ. Manifestum igitur est dictam indicationis descriptionem ei conuenire, quæ à sanitate, vel viribus sumitur, falsumq; esse (vt profers) indicationem semper sumi à nocente tanquam ab indicante, quod indicat iuuans, & vtile, velut contrarium faciendum, id enim verum esse in indicatione à morbo, quæ procedit per contrarietatem, nemo ambigit, at in ea, quæ per similia, & secundùm naturam sunt, progreditur, nullus concedet. Indicatio enim semper vtile ostendit, quod quidem indicatur aliquando à nocente, vt cum à morbo indicatur eius ablatio; aliquando verò à proficiente, quando à viribus sua indicatur conseruatio: non igitur

In apolog. fol. 12.

Indicatio semper ostendit quod vtile est.

igitur bene colligis, ab indicatione quauis vtile capi ratione contrarietatis. Licet enim animantia ratione carentia dũ sana sunt, vitare intendant nimium æstum, algorem, omniaq; eis nocere valentia, quòd naturæ suæ contraria sint, non ob id sequitur, in tali indicatione progressum fieri à re indicante tãquam à nocẽte, in rem indicatam tanquam in iuuantẽ, nanq; talium animalium natura, & debitum temperamentum, quod iuuans, & vtile illis est, indicat etiam vtile, nempe absentiã immoderati caloris, aut frigoris sibi contrarij, non enim indicat suum contrarium perquirendum, sed potiùs vitandũ, atq; fugiẽdum. Adde aliud esse deperditum resarciri, aliud verò virtutem conseruari, substantia enim deperdita postulat renouari, & pręter modum adaucta remoueri, cũ medicina sit appositio, & ablatio authore Hippocrate libro de flatib⁹, appositio verò, & ablatio in contrarietate consistunt, cum à debito modo recedunt, & considerantur vt quid præter naturã sunt, quæ postulãt reductionem in id, quod secundùm naturã est. At vires, quæ in humano corpore reperiũtur, modò optima fruatur sanitate, modò ægritudine laboret, nunquam sui ablationẽ postulant, non igitur indicatio, quæ ab illis sumitur, tanquam à nocentibus unquam proficiscitur. Quanquam enim subiectũ in quo vires fundantur, cùm morbum patiatur, aut substantię proprię ab innato calore consumptionem, consumitur, & labefactatur, atq; eius rei gratia vt ea, quæ insitus calor continuò depascitur, quàm fieri possit proximè restituantur, organa nutritioni multifariam famulantia obtineamus, sicut per multas paginas ex Galeno, & Hippocrate deduxisti, cibusq; desideretur, vt commutatus in locum deperditæ substãtiæ reponatur, deperditioque, atque alteratio subiecti morbus quidam sit, atq; nocens: non ob id tamen sequi quisquam fatebitur, à viribus in tali substantia, & subiecto consistentibus, tanquam ab indicantibus aliquod noxium, proficisci: nanque in quouis subiecto sano, vel ægro reperiantur, semper vt proficientes considerantur, & vtile perpetuò, nempe sui conseruationem indicabunt, subiectum verò labefactatum, & consumptum postulabit

labit per contraria sui reparationem, continet enim quid nocuum, & ideo vtile per indicationem exposcit. Eamq; ob causam dicebat Hippocrates, qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, quia plurimum difluit ex eorum substantia, alioquin corpus absumitur, calidũ enim non inueniens in quod agat alimentum, vt carnium, ac membrorum substantiam consumat, necesse est. Quamobrem cum in continuo fluxu corporis substantia existat, vt cõtinuò etiam reparetur oportet; ratione igitur substantiæ, seu subiecti dissipati, & quid nociuum, atque præter naturam patientis, reparatio, & appositio nouæ substantiæ, tanquam vtilis, in locum eius, quæ deperdita fuit, per indicationem postulatur: at vires, quæ in dicto subiecto consistunt, & si pro subiecti dissipatione, & consumptione minuantur, quà vires sunt, semper, vt quid proficuum, & secundùm naturam, considerantur, & in indicatione, quę ab eis sumitur, nunquã à nocente in vtile progredimur, sed ab vtili indicãte vtile indicatum perquiritur: deceptus igitur es dum indicationem à morbo cũ indicatione à viribus confundis. Sed examinemus iã Altimari hypotheses, quas improbare contendis: prima autẽ est, cùm de indicationum descriptione verba facimus, eas solùm considerari, quę primę sunt, in quibus hoĩes ratione vtẽtes ab alijs animalibus rõne carentibus nihil differũt: secunda verò, qñ Galenus indicationem describit, de prima intelligendã fore, qua citra obseruationẽ, aut ratiocinium acquiritur, secundę.n., ac tertię postea diuisiua methodo, & artificiosa coniectura per ratiocinationẽ deprehenduntur. Has autẽ suppositiones ex Galeni mẽte propositas fuisse abunde cõprobauimus, ita vt nemo vel mediocriter in Galeni doctrina versatus eas refragari possit. Licet enim animaduertas, dum assignauit Galenus descriptionem indicationis libro de optima secta, voluisse, nõ solùm indicationem esse comprehensionem quãdam vniuersalem iuuantis cum comprehensione nocentis, sed ad particularia descendens, animalia ratione carentia neque paxillum infixum extraxisse, neque æstum, aut algorem vitasse vlla ratione, aut

1. aph. sect. aph. 15. — *2. meth. c. 7.* — *cap. 11.*

obseruatione premissa, sed à singulis eorum naturis edocta id fecisse: & proinde asseris, indicationis definitionem nõ solùm quod omnibus commune, & vniuersale est, explicare, sed omnes sub se particulares indicationes includere, quoniam particularia in vniuersalibus continentur: non tamen ex his aliquid aduersus dictas Altimari suppositiones concludis; siquidem non negat, neque quispiam vnquam negauit, definitiones, seu descriptiones genericas, atq; primas, particularibus, & specialissimis conuenire per traditam ab Aristotele doctrinam dialectices tyronibus notam, dum inquit. Quando alterum de altero predicatur vt de subiecto, quecunq; de prædicato illius dicuntur, omnia etiam, & de subiecto dici oportere, vt si animal dicitur de homine, & corpus sensibile de animali, & animatum corpus de sensibili corpore, & substãtia, vt supremum genus, de animato corpore, proculdubio & substãtia de homine dicetur, definitioq; substantiæ homini, quà substantia participat, conueniet. Par etiam ratio est de generica descriptione indicationis, que cùm de alijs particularibus indicationibus diuisiua methodo acquisitis dicatur, illasq; cõprehendat, illis etiam conueniet, quà indicationes sunt, sicq; ratiocinium, aut obseruationem non comprehendent. At præter superiorum definitiones, quæ inferioribus conueniunt in generica ratione, aliæ particulares, & specificæ inferioribus insunt, quæ illis propriæ sunt, & à superiorum definitionibus valdè differunt, licet enim homo, quà animal est, animalis finitione gaudet, & substantia animata sensibilis nuncupatur, quà tamen tale animal, nempe rationale, aliter quàm in animalis communi natura consideratur. Eadem est de particularibus indicationibus ratio, quà enim indicationes sunt, illis generica indicationis ratio cõuenit, quà verò tales indicationes, in sua specifica ratione ratiociniũ, & obseruationem desiderant. Quæ deinceps à Ioanne Altimaro in patris sententiæ confirmationem dicta sunt, & ad Galeni mẽtem adducta, notiora sũt, quàm vt explicatione, aut corroboratione nostra indigeãt, & admiror maximè salue, vir alioquin doctissime, quòd in re-

In ante prædicamentis.

in rebus clarissimis, atque verissimis tot comprehendi errores existimes, vt à quo incipiendum sit, dubium te referas. Inde autem auspicaris, quòd Galenus primo de tuenda valetudine explicans causas corpus nostrum lædentes, atq; corrumpentes, quarum ratione causis cõseruantibus indigemus, aliquas nobis esse congenitas dixerit, quas vitare nequimus, à generationis nostræ primordijs exortas: etenim innatum càlidum naturale, & insitum nobis cùm sit, continuò nostram substantiam depascitur, vnde infers, in re naturali, nobisq; congenita nocens reperiri, & non in re omninò præter naturam, vt Altimarus opinabatur. Cuius opinionem si (vt optimum medicum, atque philosophum decet) sine animi liuore consideres, tanquam verissimam vt fatearis necesse erit: non enim calorẽ natiuum, quà vitæ nostræ, & omnium naturalium actionum instrumẽtum est, inter causas præter naturales reputat, sed quatenus ex accidenti dissipat, & consumit nostram substantiam. Cùm enim homo incrementum suscipere debeat, à sue generationis principio vt calore abundaret necessum fuit, qui in materiam agens humidam eam extẽderet, & ex natura sua calor interim dum operatur, necessariò debet materiã in quam agit, resoluere, & consumere, tanquam eiusdem caloris pabulum, idq; secundùm naturam existens tali agit modo, vt calor ille præter naturalis iudicandus non sit, cùm suam symmetriam, ac debitam commensurationem nõ excedat, & sic materia diffluens secundùm naturam, reparatur simili nutrimento, & ille calor non vt nocens, sed vt proficiens, & vtilis tunc consideratur, qui potiùs sui conseruationem, quàm ablationem postulat, & materiæ, in qua continetur, reparatio per similia tunc demum perficitur, quia ipsa materia, in qua ille calor continetur, etiam si aliquam patiatur suæ substantiæ euaporationem, secundùm naturam remanet, nec ob id præter naturam reddita est, ideoq; simili substantia continuò reparatur. Attamen vbi natiuus ille calor naturalem suam nõ obseruat symmetriam, sed à debito modo recedit, in igneamq; naturam conuertitur, augeturq;, & febrilis calor fit, tunc preter

Qua ratione natiuus calor dicatur præter naturam.

naturam iudicatur, morbusq; erit, qui vt nocens sui postulat ablationem, quoniam suas naturales nō perficit operationes, sed præter hoc quòd immoderatiùs dissipat substātiam, quàm vt alimento exhibito possit resarciri, calorem vigentem, nimiamq; siccitatem membris inducit, quæ contrarijs qualitatibus semoueri, mederiq; postulant. Eamq; ob causam vbi vtrūque desideratur, & deperditæ substantiæ restauratio, & qualitatis præternaturalis semotio, alimento vtimur, quod etiam medicamenti vires obtineat, sicq; vtrunque prestet, & substātiæ reparationē per similia, & qualitatis preternaturalis amotionem per contraria. Vides igitur qua ratione idē calor nunc naturalis appelletur, dum naturales edit operationes, & debitam obtinet symmetriam, nunc verò præter naturam dicatur, quando nimirum à debito modo recedit, & præter naturales actiones efficit: quoniā verò non solùm deperditur substantia, quando calor natiuus secundùm naturam se habet, sed etiam quæ remanet, siccior euadit, ideo quæ de nouo per alimentum simile generatur, non solùm in locum deperditæ apponitur, sed sua humiditate humectationem prestat talem, qualis pro substantiæ præexistentis natura desideratur, qua mediante præseruatur, ne in nimiam siccitatē inducatur: cùm enim affectus adeò paruus est, vt sensum effugiat, sola præseruatione curatur, quando verò adeò manifestus apparet, vt actiones lædat, iam tāquam morbus indicatur, & vt quid præternaturam, quod curatione, non autem præseruatione indiget. Licet igitur in preseruatione duæ sint necessariò causę corrigentes, adiectio nempe substantiæ in locum deperditæ, seu dissolutæ, & alteratio, ratione qualitatis siccæ ab actione caloris, vel causarum extrinsecus alterantium inductę, vtrūque nutrimento simili substantię deperditæ perficitur, quod & in substantia, & in qualitate tale sit, qualis erat substantia deperdita, erat autem humida, quarè & humidum vt sit alimētum, quod in illius locum reponitur, necesse est. Et quanquam siccitati in membro acquisitæ contrarietur, humiditati deperditæ substantiæ assimilatur, sicque per similia potiùs, quàm per

con-

contraria fit reparatio, & præseruatio: at verò cùm affectus magnus est operationes lædens, tunc vt præternaturalis omnino contrarijs remedijs abigitur. Tandem verum citra vllam dubitationem erit, quod Altimarus concludit, nocens in Galeni doctrina libro de optima secta idem esse, quod preternaturalis causa, dum inquit, cum nocentium notitia, simul & causarum agnitionem concurrere, nocentiumque cognitionem causarum esse comprehensionem; sicque si nocentia causæ preter naturam sunt, in virium præseruatione comprehendi nequeunt, quę primo, & per se alimoniam postulant, & per similia reparationem; quod verò præternaturam est, potiùs per contraria ablationem exposcit. Admiror sanè vir doctissime, quòd tenaciter adeò tuæ adhæreas opinioni, vt argumentum concludens ex prædicto Galeni loco desumptum subterfugiens, affirmes, nocens à Galeno inibi non sumi pro eo, quod præternaturam est, quamuis dicat, quòd nocentium cognitio causarum est comprehensio: si enim velis quæ à Galeno ibi dicuntur non conniuentibus oculis perspicere, inuenies sanè ipsum de suppressione, seu astrictione loquentem aduersus methodicos asseruisse, quæ supprimuntur, aut noxia esse, aut vtilia, aut neutra, si sint vtilia, ea excernere absurdum esse: si neutra, iam neque morbum esse constare. Dicendum igitur superesse, cùm retenta nocent, astrictionem esse, quæ lædunt verò, causas, indeque fieri, vt ex causarum anticipata notitia astrictio comprehendatur. Nam vt astrictionem adesse cognoscamus, suppressa nocere præsciendum est. Quid clarius dici potest, nocens esse præter naturam, & in morborum numero connumerari? nam si vt Galenus refert, quæ retinentur, sunt vtilia, ideo profectò vtilia erunt dicenda, quia secundùm naturam sunt, nobisq; familiaria, eamque ob causam ea excernere absurdum esse: si verò sunt neutra, iam neque morbum esse constat, quoniam morbus quid præter naturam est sensibiliter lędens operationes: neutrum verò intra sanitatis latitudinem continetur, ideoq; potiùs ad id, quod secundùm naturā, quàm ad id quod

Nocens, & præter naturale idem cap. 27.

præter naturam est, accedit: dicendum igitur, cùm retenta nocent, à sufficienti enumeratione preter naturam esse. Quamobrem si in viribus preter naturam continetur, quæ ab eis sumitur indicatio per cõtraria procederet, sicque vires, quà præter naturam sunt, demendas fore asserendum esset, & vna, eademq; indicatio extitisset, quę à morbo, & à viribus desumitur. Quod quàm absurdum sit, iudicent omnes, qui veram medicæ artis profitentur doctrinam.

PARTICVLARIVM CIRCVITVVM CAVSAS AD propriam cuiusq; humoris naturam, atq; substantiam, non autem ad contractæ putredinis conditionem esse referendas.

DEFENSIO TERTIA.



QVANDOQVIDEM in septima, atque octaua depulsione sentẽtiam tuam Salue doctissime de causis particularium circuituum exactè confutauimus, easq; ad cõtractæ putredinis cõditionem referri non posse, validissimis rationibus comprobauimus, nõ opus erit, quæ alibi à nobis dicta sunt, denuo repetere: præsertim cùm institutum nostrum sit, pro Ioannis Altimari sentẽtia pugnare, & argumentis à te propositis satisfacere. Vt autem ordine procedamus, quæ ab Altimaro pro patris defensione, tuæq; opinionis confutatione dicta sunt, in medium adducamus. Prima ratio hæc est, putredo, quà putredo est, vnicam habet rationem, quà substantiæ totius putrescentis corporis mutatio ad corruptelã ab externo calido definitur, ergo quęcunq; putredo cuiusuis humoris illa sit, in ratione putredinis eandem habebit definitionem, eundẽ igitur quà putredo producet effectum, in quouis subiecto illa sit, atque deprehendatur: sicq; in bilioso, sanguineo, pituitoso, atque melancholico humore, semper mutatio erit totius putrescentis corporis ad corruptelam ab externo calore facta. Et hæc vera est putredinis

Putredinis definitio.

dinis

dinis conditio, quæ à sua essentiali definitione consurgit: Si igitur ad hanc conditionem particularium circuituum causæ referendæ sunt, idem erunt circuitus omnium putrescentium humorum, quoniam omnibus eadem est contractæ putredinis ratio, & ab illa fluens cõditio, quarè tertiani, quotidiani, & quartani circuitus idem prorsus erunt: at videmus esse diuersos, eadem igitur causa de per se plures de per se, atque diuersos producet effectus, quod omnis philosophorum schola abhorret. Tu verò rationem hanc ex eo nõ concludere dicis, quòd licet vna, & eadem sit putredinis natura, tamen alia putredo bilis, alia pituitæ, alia verò melancholici humoris dicẽda sit, ideoq; ab illis putrescentibus diuersos posse prouenire effectus. Quod idem est, ac si dicas, animalis rationẽ, qua esse dicitur substãtia animata sensibilis, diuersam esse in homine, equo, elephanto, & alijs animalium speciebus. Quod quidem absurdum est; quà enim animalia sunt, conueniunt quidem inter sese genere, licet specifica ratione differant: alia enim est ratio specifica hominis, qua homo est, & alia equi, qua equus. Par est ratio de putredine in genere, seu in communi, dicitur enim mutatio totius putrescẽtis corporis ad corruptelam ab extraneo calore: & similiter in particulari, quà putrescit bilis, vel pituita, aut sanguis, seu melancholicus humor, erit etiam mutatio substantiæ dictorum humorum ad corruptionem ab externo calore facta: in ratione enim putrefactionis omnes isti humores conueniũt, licet inter se, quà tales humores sunt, specifica ratione differant: alia enim est ratio bilis, quà bilis est, à ratione sanguinis, vel pituitæ, aut melancholiæ, quà sanguis, pituita, aut melancholia sunt. Non igitur à putredine bili euenit, quòd de tertio in tertium moueatur, aut pituitæ, quotidie, melancholiæ verò, de quarto in quartum, sed à cuiusque humoris propriæ natura. Licet enim putridæ febres nõ concitentur sine humorum putrefactione, putrefactio, quà putrefactio nihil facit ad hanc, vel illam circuituum determinatam repetentiam, sed humorum, qui putrefiunt, talis, vel talis natura, atq; substantia. In bilioso enim humore talis est natura

A cuiusque humoris ꝓpria natura euenit, moueri per statutos circuitus.

natura, quæ facile incendatur, & citissimam, breuissimamque faciat accessionem, præparetque humoré, qui aggregatus tertio quoq; die denuo inflammetur, ac repetat: in melancholico verò talis deprehenditur, quæ difficiliùs inflammetur, diutiùsq; perseueret, ægriùsq; disponatur ad nouum incendium, ideoq; quarto quoq; die nouam moliatur accessionem: at in pituita talis consideratur natura, non in temperatura, quoniam frigida, & humida cùm sit, & ambabus qualitatibus cum igne pugnans, difficulter accenditur, sed in consistentia, seu substantia, crassa, vel lenta, ac tenax existés, quæ accensa diutiùs detinetur, igneumq; seruat calorem, qui nouum humoré aceruatum præparat ad incendium statim sequenti die subsequuturum, vnde fit, vt quotidie moueatur, quæ latiùs à nobis octaua depulsione fuere exposita. Non igitur in putredinis contracta conditione consistit particularium circuituum ratio, cùm enim idem, quatenus idem semper sit natum facere idem, vt apud omnes philosophos receptũ est, putredo eadem quatenus talis est, in quibusuis subiectis, etiam si diuersæ naturæ sint, eandem putrefactionem, seu corruptioné concitabit, neq; diuersitas subiectorum specié putrefactionis mutabit. Non negamus putridos humores incendi, quòd per putrefactionem sint ad incendium, & ad naturę expulsionem parati, quòd autem sic moueantur, vt per tertios biliosus, melãcholicus verò per quartos concitet accessiones, & repetẽtias, à propria cuiusq; humoris natura fieri, vt fatearis necesse est. Vnde rectè cõcludit Altimarus, si discrimen in putrefactis humoribus non reperitur in putrefactione, ad hoc vt differẽtes faciant repetentias, tale discrimen in propria natura humorum, in quibus putredo reperitur, perquirendum erit: si igitur in humoribus, non auté in putredine dissimilitudo adest, dissimilitudo, & varietas circuituum in humorum, nõ autem in putredinis dissimilitudine collocanda erit. Confirmat dictam patris opinionem argumento validissimo, quod in apologia minimè à te dissolutum reperio, si enim, inquit, contractę putredinis diuersa conditio facit diuersas repetentias per circui-

In putredinis cõtracta conditione nõ consistit particulari um circuituum ratio.

circuitus, & pestiferæ febris conditio à nō pestifera valde differat, proculdubio pestilēs putrefactio humoris biliosi aliam repetentiam quàm per tertios concitabit, cùm non pestilens per tertios moueri soleat: at videmus biliosum humorem putrefactum venefica, aut non venefica conditione, moueri per tertios, motus igitur ille non putrefactionis conditioni, sed conditioni naturæ humoris biliosi, quà biliosus, est tribuendus. Huic argumento respondes, id fieri, quia in vtrisque eadem est putrescentis humoris natura, putredinemque, licet recipiat magis, & minus, non variare humorem, ideoq; siue vulgaris, siue pestilens contrahatur bilis putredo, circuitus formam non variari. Sed tua te Salue responsione iugulas, nanque contractæ putredinis quæuis conditio secundùm magis, & minus reperitur, putredinisque speciem non variat, ergo vbicunque reperiatur putredo, & quibusuis conditionibus considerata, & in quibusuis humoribus constituta, atque collocata, speciem putredinis non mutabit, quarè neq; circuituum formam, quà putredo est, variabit; igitur illorum variatio non à contracta putredinis conditione, sed à varia humorum natura procedet. Sic etiam, quòd synocha febris ex putrescente sanguine cōtinua fiat, & non intermittens, nō ex eo euenit, quia sanguis sua humiditate, & caliditate præceteris humoribus ad putrefactionem aptior sit, vt opinaris, sed quoniam, vel in omnibus, vel in maximis, ac principalioribus putrescit vasis: nam si ob id, quòd ad putrefactionē aptior sanguis sit, id euenisset, frequentiùs quàm reliquę febres synochus contigisset, sed videmus multò rariùs euenire, non igitur propter aptitudinem, quam habet sanguis ad facilem putrefactionem, synochę continuæ generantur, sed ex eo, quòd in magnis vasis, & cordi propinquis corrumpitur: quemadmodum, & biliosam continuam ob eandem causam fieri cernimus, quia videlicet bilis in magnis putrescat vasis. Præterea, in sanguine non reperiri siccitatem illam, aut frigiditatē, quę possit putredini repugnare affirmas, sed caliditatem, atq; humiditatem tantùm, quæ putredinem concitare valeant, in-

Nō generātur synochæ cōtinuæ ob aptitudinē sāguinis ad putrefactionem.

In expositione 12. aph. f.163.

2 de crisib. cap.6.

deque fieri, vt citiùs putrefiat; quarè hac ratione sanguinem tunc accipis pro quarta substantia à reliquis humoribus separata. Si autem in ea non est siccitas, aut frigiditas, vt opinaris, neque etiam aderit mistura aliorum humorum, à quibus dictæ qualitates effluere posſint, quarè sanguis vt syncerus à te consideratur humor. Quod innuere videris ex Hippocrate primo libro de natura humana dicente, in anno interdum hyemem potiſsimùm viribus pollere, interdum autem ver, aliquando æstatem, nonnunquam verò autumnum, in homine q; ad eundem modum contingere, in quo pituita interim quidem excellit, interim verò sanguis, interim bilis, flaua quidem primùm, dein verò nigra; & Galenus etiam in commento, eodem modo in homine pituitam per hyemem superare dicit, succum quidem frigidum, humidumque, verè autem sanguinem calidum, & humidum, & in æstate bilem flauam, viribus siccam, calidamq;, autumno verò nigram, siccam, frigidamque, quemadmodum & autumnus ipse. Verùm si perpendisses, quæ paulò superius à Galeno dicta sunt, in sanguine frigiditatem, & siccitatem reperiri non negasses, inquit enim, ipse nimirum sanguis, qui temperatiſsimus est, & apparet, talis dicitur esse, quia nihil in ipso eorum, quæ mutuò aduersantur, insigniter excedit: neque sanè calidum à frigido, neque frigidum à calido, neque humidum à sicco, neq; siccum ab humido superatur. Quoniam igitur sanguis ipse quatuor qualitatibus eget, humiditate, & siccitate, & caliditate, & frigiditate, obscurum nō est, quòd & cæterorū succorum miscella egebit. Quamobrem temperatiſsimus sanguis nō nihil particeps erit pituitæ, & bilis flauæ, nigræque. Sanguis igitur modò temperatiſsimus sit, modò in caliditate, & humiditate excellat, aliorum humorum mistione conflari necesse est; neque vnquā syncerus actu dari poterit, nisi mente tantùm, vt quarta substantia à reliquis humoribus separata, comprehendatur, quemadmodum, & mundi elementa, quæ sensu percipiuntur, actu mista cùm sint, mente tantùm simplicia esse posse considerantur, vt commento trigesimo octauo eiusdem

In sangine, vt quarta substautia à reliquis humoribus separata, necessario siccitas, & frigiditas adest.

Com. 40.

Sanguis syncerus mente, non re, reperitur.

libri Galenus refert. Adde quòd sanguis quouis modo acceptus corpus quoddam compositum est, quarè & ex quatuor elementis conflatum, continebit igitur quatuor elementorum qualitates; caliditatem nempe, & humiditatem, frigiditatem, atque siccitatem, sicque frigiditate, & siccitate putrefactioni resistere poterit. Conuictus igitur dictis rationibus immemor eorum, quæ in commentarijs tuis asseruisti, in apologia, te sanguinem intelligere pro tota massa sanguinea, quæ in vasis continetur, affirmas, vt Galenus explicat, libro nono methodi, sanguinemq; nuncupari ab humore maximè in dicta massa prædominãte. Quamobrem sanguis temperatus, vel parùm ad caliditatem, & humiditatem inclinans, habebit etiam frigiditatem, & siccitatem humido, & calido oppugnantes, quòd tuę sententiæ contradicit. Et vt à contradictione te eripias, tandem in apologia fateris, quòd licet in sanguine sint etiam vtraq; bilis, & pituita, simul cum suis qualitatibus, præualere tamen humiditatem, & caliditatem tali modo, vt frigiditas, & siccitas obscurentur, & superentur, remaneantque veluti in potentia. Responsio certè est tãto philosopho indigna, cùm in mistis corporibus ita elementorum qualitates in medio temperamento reperiantur, vt quæ illarum præualeat minimè deprehendatur: quando verò à medio temperamento parùm declinant, præualentes, & exuperantes magis in actione sua manifestantur, neq; oppugnare, & contra agere alię desistunt, donec omninò succumbant, & simul cum earum interitu compositum pereat: preter quàm quod ex cibis ingestis frigidioribus, & siccioribus secũdùm exuperantiam, solet sanguis à natiua sua temperie in contrariam sæpe conuerti, vt iam aliquando à prædominio magis melancholicus, atque terrenus dici debeat, tuncq; contrariæ qualitates, nempe frigiditas, atq; siccitas, manifestiùs apparebunt, & tamen eo tempore faciliori negotio putrefit, caloremq; extraneum admittit, & quartanam febrẽ concitat, quàm vbi in sua debita temperie secundùm exuperantiam caloris, & humiditatis consistit; ergo non ex eo quod calidior,

Sup 12. aph. fol. 163.

Cap. 3. et li. de pleni. c. x.

Kk 2 &

& humidior est sanguis, faciliùs putrefit, & continentem febrem concitat, procreatque: non enim à naturali calore, sed ab extraneo putrido perficitur putrida febris. Cùm igitur in sanguine temperato, vel ad caliditatem, & humiditatem vergente, natiuus calor contineatur, potiùs in humido perfectionem, quàm corruptionem excitabit, sicq; non omnia calida, humidaque prompta ad corruptionem erunt, sed ea duntaxat, quæ cum humiditate extraneum calorem admiserint. Neque ex eo redarguendus erat Ioannes Altimarus quòd sanguinem, vt quarta substantia est ab alijs humoribus distincta, ab Hippocrate, & Galeno temperatum, vel calidum, & humidum appellari dixerit, si enim daretur purus, ac syncerus sanguis alijs humoribus impermistus, talis vtique esset: non tamen ob id negat massam sanguineam à prædominio sanguinem dici, sicque calore, & humiditate reliquos humores superare, quos simul cum sanguine in se continet. Non contemnenda etiam ratio est, qua Altimarus probat, non eo quòd facile putrescat sanguis, continentem febrem cõcitari, sed quoniam in magnis putrescit vasis. Siquidem sanguis calidus, & humidus cùm sit, in particularibus putrescens vasis, vel in aliquo loco inclusus, non synocham, sed tertianam efficit febrẽ, qui idem in magnis vasis putrefactus synocham concitabit. Quòd igitur continens febris sit, non à putredine sanguis habet, sed à loco, nempe à magnis vasis in quibus putrefit: nam si à putredine habuisset, non magis tertianam, quàm synocham concitasset, etiam si ad hoc, vt putridam constituat febrem, necessarium sit talem humorem priùs putrefieri: quarè sanguis dum putrefit, quia calidus, & humidus est, continentem febrem non generat, sed quoniam in magnis, & cordi propinquis putrescit vasis. Cùm autem eiusmodi argumentum te torqueat, aduersus Donati Antonij positionem (qua tenet, ex propria humoris natura ipsius bilis proprium esse tertianum circuitum) ipsummet argumentum concludere respondes, ex eo quòd si sanguis in parte inflammata est eiusdẽ naturę cum eo, qui in magnis vasis continetur, in magnis autem

Cõtinens febris fit à sãguine, qa in magnis putrescit vasis non autẽ ex eo, quia facilè putrescat sanguis.

tem

tem vasis putrefactus concitat continentẽ febrem, quarè non erit illi proprium à natura sua repetere per tertium. Ego tamen non inuenio vnde ratio hæc aduersus Altimarum quidpiam concludat, ex natura enim sua biliosus humor putrefactus habet, vt moueatur per tertios tàm in intermittentibus, quàm in continuis febribus, & æquali existente putrefactione sanguis in particularibus conclusus vasis, & in magnis, ac cordi propinquis, cùm per putrefactionem maior ipsius portio, & subtilior in bilem conuertatur, tertianum perficit motum, sed præter hoc continuam constituit febrem, cùm in magnis vasis putrefit. Quamobrem à loco magis amplo, & cordi propinquo continuitatem accepit, non à natura humoris biliosi, quæ tertianum motum perpetuò constituit, quemadmodum, & à melancholici humoris natura quartanus constituitur circuitus, & à pituitosi etiam natura quotidianus: continuitas verò à loco ampliori, & cordi propinquo illis euenit. Adde quòd Galenus secundo libro de crisibus agens de febribus synochis, quæ à putrefacto sanguine concitantur, inquit: Cùm verò neque declinatio aliqua sensibilis fiat, semper verò à primo principio febris vsque ad crisim similis perseuerauerit, erit & hęc ex genere febrium deurentium: ab ijsdem verò acutie differt; & subiungit. Sufficit enim genus agnoscere, quòd scilicet biliosa sit, atque deurens, & peracuta. Ex quibus patet quòd sanguis fit biliosus interim dum putrefit, & tamen in magnis vasis constituit synocham febrem eodem tenore procedentem, seu paulatim accrescentem, aut paulatim decrescentem sine vllo per tertios validiori motu, quæ acutie differt à febribus continuis omninò biliosis, quoniam cùm adhuc sanguis putrescens suam retineat formam, & omninò in bilem conuersus non sit, non ita mordacem tactui, ac bilis ipsa, offert calorem, neque per tertios facit repetitionem, sicut continua omninò biliosa. Quamobrem à biliosi humoris natura, vbi putrefactus est, prouenit, quòd accendatur, & moueatur per tertios, continuitas verò, à loco amplo venarum ad cor pertingentium, atque pertinentium. Alia verò

Cõtinuitas febris non à natura humoris, sed ab amplitudine loco perficitur. cap. 6

argu-

argumenta, quæ aduersus particulares periodorũ causas ab Altimaro assignatas proponis, nihil cõuincunt, semper enim eas refert præcipuè ad humorum propriam naturam, quæ docente Galeno tertio de temperamentis, non in temperie solùm, sed in consistentia, seu substantia consideratur. Secundùm igitur duplicem naturæ modum bilis faciliùs quàm reliqui humores accenditur, temperie enim calida, & sicca cùm sit, citissimè in ignem mutatur, substantia verò tenuis existens facili negotio ignem admittit: contra pituita frigida, & humida, ambabus qualitatibus cum igne pugnans difficiliùs vincitur, & superatur, in igneamque naturam mutatur: altera verò natura, quæ eius substantia, consistentiaq; est, crassa, lenta, atque tenax existens, cùm iam accensa est, diutiùs igneum seruat calorem, & in causa est, vt aliam de nouo præparet cõgregatam pituitam ad nouum incendium statim, nempe sequenti die, subsequuturum, vnde fit, vt altera natura, quæ sua est substantia, atque consistentia, in qua magis ignis detinetur, & persistit, suoque præternaturali calore congestam pituitosam materiam, alioquin crassam, & lentam, tangens, & continuò disponens, faciliùs accendat, & singulis diebus inflammet, & moueat, non quà crassa, lentaq; substantia est (nã hac ratione deberet superari à bilioso, ac tenui humore) sed quatenus propter crassitiem, ac lentorem, igneum, ac præter naturalem detinet calorem, qui nouam materiam præparat, & inflãmat; quod biliosus humor incensus facere nequit, cùm ob suam tenuitatem, & facilem euaporationem citissimè dissoluatur, nullumque caloris præternaturam suæ substantię in accessione inflammatæ vestigium relinquat, quod nouum biliosum humorem congregatum tangens, disponat, & inflãmet. Cæterum adhuc conaris hanc verissimam Altimari, imo Galeni ipsius doctrinam oppugnare, ex eo quòd, si aliquod in bilioso humore adesset igneum, & pręter naturam ad nouũ incendium disponens, quemadmodum in pituitoso humore cõtingit, accessio in biliosis citiùs, quàm in pituitosis febribus, reuerteretur, cuius oppositum experientia in biliosis cõtinuis mon-

Cap. 4.

Natura humoris nõ in temperie solùm, sed in consistẽtia, seu substantia consideratur.

monstrat, in quibus non deficit caliditas prçter naturam, atq; putredo, quæ ad nouam putrefactionem, & incendium, biliosum humorem disponere valeat: videmus tamen bilem, siue intermittentem, siue continuam excitet febrem, semper tertianum seruare circuitum. Argumentum certè concluderet, nisi (quemadmodum in octaua depulsione exposuimus) maior diflaretur, & euacuaretur copia biliosi humoris putrefacti, & inflammati in singulis accessionibus, quàm de nouo putrefiat, & accendatur diebus intermedijs, & maior similiter disponeretur secundo die, quàm eodem putrefiat, & comburatur. Vnde euenit quòd tertio quoq; die continua biliosa magis exacerbetur, & periodũ per tertium, vt intermittens, repręsentare videatur. Neq; mireris quòd Ioãnes Altimarus dixerit, subiecti aptitudinem non parum in actione, & passione pręstare, nõ enim existimat maiorem ad incendium, & putrefactionem ex humoris natura habere aptitudinem humorem pituitosum, quàm habeat biliosus, id enim esset sibi ipsi, & parentis doctrinę cõtradicere, sed quòd magis dispositus pituitosus sit humor à caloris pręternaturalis magna portione in humore pręteritę accessionis remanente, qui suo contactu congregatũ humorẽ ad venturam accessionẽ, & putrefacit, & disponit ad nouum incẽdium: tum quia calor præternaturam in humido cõclusum, & qui non transpiratur, agens, illum putrefacit, & dispositũ reddit ad incendium, sicq; humor pituitosus, alioquin ob sui consistentiã, & frigidam qualitatẽ minùs aptus ad putrefactionẽ, & incendium, rõne immoderati caloris permanentis ex pręterita accessione, illũq; vndiq; tangentis, reperitur citiùs dispositus, quàm biliosus humor, qui non tangitur à portionibus alterius bilis incensę, & putrefactę in pręcedẽti accessione, quæ fuerunt tunc temporis omninò resolutæ, & non remãserunt. Adde quòd, vt Donatus Antonius refert ex Galeno 11. methodi, capite 4. & alibi sępissimè, proxima putredinis causa est prohibita transpiratio, quæ ex obstructione proficiscitur, obstructio aũt magis ex crassis, pituitosisq; humoribus, quã ex biliosis fit, quare in illis priùs naturalis calor in pręter naturã

Lib. de meden. feb. ca. 42.

con-

conuertetur, ob quod priùs etiam in illos aget, tum putrefaciendo, tum ad incendium præparando: quemadmodũ ignis priùs disponit viridia ligna sibi approximata, & ad incẽdium præparat, quàm sicca, quæ adhuc non tangit, viridiaque ligna sic disposita (& si eo tempore ignis etiã sicca tangat) priùs ob dispositionem, quam à calore pręter naturam acceperunt, incenduntur, quàm quæ sicca sunt. Verùm vbi igne vtraque incensa sunt, sicca priùs cremantur, & resoluuntur, quàm viridia, ideoque in viridibus, propter incendij alimẽtum, quod remanet, detinetur ignis, qui ligna viridia, quæ interim de nouo congregantur, tangens, priùs disponit ad incendium nouum, & apta reddit, quàm sicca, quæ adhuc non attigerit. Et licet humorum crassities, tenuitas, multitudo, paucitas, acrimonia, corporis raritas, & virtutis robur, vel infirmitas, non faciant ad febris continuitatem, vel intermittentiã, sed ad longitudinem, vel breuitatem, anticipationem, vel postpositionem accessionis, continuitasque, vel intermissio ex putredinis loco proueniat, vt Galenus secundo de febrium differentia annotauit, quod etiam Altimarus nunquam negauit; calor tamen præter naturam, qui in longis pituitosi humoris putrefacti accessionibus remanet, suo contactu facit, vt nouus humor pituitosus in loco putredinis cõgregatus citissimè, & disponatur, & comburatur, quotidianasque accessiones concitet. Crassities igitur humoris de per se longam accessionis constituit moram, ex accidenti verò, quia in humore crasso detinetur calor igneus, & præter naturam, disponens, & comburens de nouo aggregatum humorem, causa est accessionis formæ, quę quotidie fit, nullumque est inconueniens, quòd eadem causa vnum de per se, alium ex accidenti producat effectum. In quo igitur positio tua ab Altimari positione differt, redarguenda, in quo verò ab ea non disentit, meritò laudanda.

QVOD ASSERERE HIPPOCRATEM DISTVlisse venæ sectionem in Anaxionis pleuritide vsq; ad octauum diẽ, quia sperauerit affectum solis fomentis curari posse, non sit ipsum de ignorantia redarguere.

DEFENSIO QVARTA.



VONIAM in decima depulsione, & octaua Epistola ad doctissimum Cæsarem conscripta tuas confutauimus rationes, quibus in cõmẽtarijs primi aphorismorum libri probare contendis, Hippocratem in Anaxionis curatione pleuritide laborantis ante octauum diem venam secuisse, mõstrauimusq; voluisse priùs fomentis curationem tentare, idque potiùs prudentiæ, quàm ignorantiæ illi tribuendum fore: eam ob causam quæ alibi demonstrata sunt, nunc repetere absurdum fuisset, præsertim cùm in apologia nihil noui afferas, quo tuã roborare sententiam, Altimari verò destruere possis. Tamen vt pro Ioanne Altimaro satisfaciam, examinemus eas rationes, quibus in apologia aduersus illum irruis. Primùm enim adducis Galeni locum secundo de difficultate respirationis capite octauo, in quo totius rei difficultatem cõsistere existimas, & probè quidem, quoniam ex eis quæ illo in capite à Galeno traduntur, optimè colligitur Hippocratem prudentissimum virum in Anaxionis pleuritide primis septem diebus fomentis vsum fuisse, octauo verò sanguinem misisse. Eo enim in loco dubitat, cur cùm signorum pathognomonicorum syndromes, seu coaceruatio (quę signa in pleuritide quatuor sunt, febris nempe acuta, dolor, difficilis respiratio, & tussis, quibus positis ponitur pleuritis, & semotis semouetur) quatuor duntaxat dictis signis cõfletur, Hippocrates verò in Anaxione pleuritide laborante præter alia signa communia, quę etiam commemorauit, solùm tria, nempe febrem acutam, dolorem, atque tussim proposuerit, difficilemque respirationem

prætermiserit? cui dubio satisfacit, dicens pleuriticis necessa riò accedere, & lateris dolorē, atq; hūc cum febre, & respiran di difficultatē, & tussim: neq; enim possibile est pleuriticū esse, cui non omnia hæc adsint. Deinde subiungit. Hippocrates itaque in proposito nunc ægroto Anaxione superuacuum exi stimauit scribere, quod omnino erat citra conscriptionem intelligibile. Febris enim acuta inquit, apprehēdit, & dextri lateris dolor continens, & tussiuit aridas, tussiculas videlicet. Per vnum itaq; sermonem, & quòd cum pleuritide conflicta-tus sit homo, & qualis hæc ipsa fuerit, ostensum est. Quādo ve-rò spirandi difficultas necessariò pleuritidem sequitur, de hac scribere reliquit, nec quòd ęgrè spirauit hic homo dixit: si enim & de hac quicquā peregrinum, ac rarum, quod diceret, habuisset, non vtiq; tacuisset. Cùm verò, velut verisimile est, consuetam speciem seruaret, rationabiliter eam reliquit. Quē admodum autem hæc reliquit, sic alia adscripsit, quæ neque necessariò pleuriticis adsunt, neque contingenter, seu vt plu-rimùm, neque ex dictis intelligi possunt: inquit enim, siticu-losus, vigilans, vrinæ autem boni caloris, multæ, tenues, de inde inferens: sexta delirus, ad calefactoria verò nihil remit tebatur: hæc autem omnia neq; necessariò pleuriticis adsunt, neque contingenter, seu vt plurimùm. Si verò & septimi diei audiueris enarrationem, adhuc manifestiùs cognosces volun tatem viri: habet autem hoc modo. Septima dolorosa, fe-bris enim se extendit, & dolores non remiserunt, tussesque infestabant, ac difficulter respirans erat. Hic sanè difficilis re-spirationis mentionem fecit, cùm hominem male afligi, col-lectionem faceret, inter alia etiam ipsam recensens, cum ne-que ea, quæ à principio ipsi conciderant, sedata essent, neq; remisissent, febres tamen, inquit, die septima se extendisse: vnde infert. Si ex affectionibus ipsum morbum constituenti-bus quatuor numero existentibus, tres quidem, dolor nem pe, tussis, & difficilis respiratio eodem modo habentes per-manent, quarta verò, videlicet febris, etiam peior redditur, omnibus manifestum est, quòd homo illa die male habuit.

Quibus

Quibus sane verbis dubitationi propositæ satisfacit, & Altimari opinionem quodam modo confirmat. Non enim ex eo, quòd à principio Anaxion laborauerit morbo laterali, cui febris accidens continua fuit, & acuta, & dolor continens, tussis arida, & difficilis respiratio, sequitur eum plenitudine tali à principio laborasse, quæ expostularet venæsectionem ante octauum diem, neque id Galenus significare voluit, cum dixit. Non solùm igitur quòd febris fuit, sed etiam qualis nã, didiscisti: acuta enim inquit, & non solùm quòd lateris dolor, sed etiam qualis, nempe continens, & non solùm quòd tusses, sed etiam quæ, & quales, nimirum aridæ, neque quicquam expuentes. Non negamus enim, quod maius quid est acuta febris cum additione, quàm febris simpliciter dicta, cõtinua enim febris, quæ morbum quemuis lateralem sequitur, ob continuitatem, & periculum acuta dicitur: intermittens verò cùm periculo vacet, nunquam acutiem habet. Et licet morbus lateralis in Anaxione acutus fuerit, & febris similiter acuta, tamen acuties à die septima, qua inualuit febris, numeranda est, cuius respectu cùm dolor fomentis non sedaretur, & sexta die ad calefactoria nihil remitteretur, septima verò dolor extitisset, quia febris se extendisset, ideo optima ratione in octauo die sanguinem misit, quo tempore non sperauit, iam fomentis curari posse, & intellexit veram morbi acutiem à septima die, qua inualuit febris, incepisse. Si enim ita acutus ille fuisset morbus à principio, quemadmodum profers, intra decimum quartum diem esset terminandus, qui vltimus acutorum ab Hippocrate connumeratur, at in Anaxione inquit, vigesimo sudauit, febre liberatus est, à iuditio melius habuit; quare si vigesimo rectiùs habuit, & febre fuit liberatus, acuties incepit numerari à die septimo: nã si à principio pleuritidis numeraretur, in decimoquarto deberet iudicari. Diebus igitur, quos quietiores transegit, & febris non magis fuit adaucta, non connumeratis, optimè terminatus fuit morbus intra decimum quartũ: sicut in Erasini historia laborantis acutissima febre, cuius terminus est quartus dies, quia primam

Acuties morbi in Anaxione à die 7. qua morbus inualuit, numeranda.

diem placidè, & cum quiete tulit, quatuor autem reliquis, & fortis morbus fuit, & in ipsis ad mortem iudicatus, quatuor tantùm dies acutiei fuerunt numerati. Inquit enim Galenus, At Erasinus quanquam omnia grauia haberet, ad diem tamē quintum mortem produxit, quòd die primo mediocriter habuerit. Vnde est de eo sic scriptum ad verbum. Diem primum quietè transegit. Quintus itaque ab initio, quo decessit, non adnumerato primo, quartus efficitur. Eadem secundùm proportionem ratio est de Anaxione, cui cæpit febris inualescere die septimo, & ideo morbi acuties ab illo die connumerata, fuit finita vigesimo: & quia remanserunt reliquiæ cruditatis, redijt febris vigesimo septimo, tussijt, multa excreauit concocta, in vrina multa subsidebant alba, desijt sitire, dormiuit. Trigesimo quarto toto sudauit corpore, cessauit febris, in totum est iudicatus. Ex dictis igitur Hippocratis, & Galeni, colligitur morbum lateralem Anaxionis à principio non fuisse verè acutum, quia ex humoribus crassis, viscosis, atque crudis constasset, quorum ratione in trigesimum quartum vsque fuit prorogatus, & ob maximam humorum cruditatem distulisse Hippocratem venæsectionem, & in longo adeò morbo cum tanta cruditate potiùs Galenus venæsectionem damnasset in primis diebus, quàm vt vlla ratione sibi persuasisset Hippocratem ante octauum diem Anaxioni sanguinem extraxisse. Præterea si primis diebus illi fuissent nota plenitudinis signa, ob eamq; rationem auxilio per venæsectionem vsus fuisset, reliquisset proculdubio fomenta, ex quibus iam non sperabat, aut morbum resolui, aut plenitudinis signa posse manifestari: quod minimè fecit, quia dixit Sexta delirus, ad calfactoria verò nihil remittebat; quare vsq; ad sextum diē sanguinem non misisse manifestū certè est, aut si missus fuisset bis, vel ter, vel quoties opus esset (vt credis) quia virtus ex preteritis euacuationibus valde labefactata extitisset, octauo die multū sanguinis ex vena fluere non permisisset: presertim quòd ob humorum crudorum accumulatam copiam vires labefactarētur, vt Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem

Li.1. de mor. vulg. cap. 3. ægroto 8.

Ob crudos humores vires inualidæ fiunt. Cap. 2.

nem testatus est. Secundò examinandum proponis Galeni locum, & historiam sexto epidemiōn propositam, & ab Altimaro ad suæ sententiæ confirmationem adductam, caue tamen ne dum in examine ex Galeni dictis eiusdem errata patefieri contendis, tua manifestētur. Cùm enim Hippocrates proposuisset priuatum exemplum de sanguine in pectus, & pulmonem declinante, expedire inquit horum aliquibus sangui nem detrahi, quibus scilicet is copiosus est, & nondum insigniter ad alterius humoris naturam conuersus: non detrahēdum autem (vt Galenus exponit) in quibus iam mutatus est. Deinde impedimentum in cruenta expuentibus esse inquit tēpus anni, morbus lateralis, bilis. Quibus verbis significat, in sanguinis expuitione morbum lateralem impedimento esse, quo minus sanguis mittendus sit, sicut etiam, & anni tēpus, & biliosus humor redundans. Et Galenus hanc sententiam exponens, quòd propter anni tempus vitanda sit sangui nis missio, clarum esse dicit, nam valde calidus temporibus, qualia sunt prope canis ortū, à venæ solutione cauemus, nec non si valde biliosus hō sit. Verùm quod de laterali morbo dictū est, tanquam dubiū proponens, vt dubitationi satisfaciat, subiungit hęc verba. Itaq; quod dicitur, tale quiddā esse videtur. Sanguineū sputum reijcientibus omnino, quātum ad hoc pertinet, secanda vena est, nisi propter lateralē morbum tale reijciant; istis nanq; haud prorsus, vt sanguinē expuentibus venā aperies, sed proprijs lateralis morbi regulis, & conditionibus medicaberis, per quas ita affectis vel sanguinem detrahemus, vel non. Vides qua ratione Gal. quē pro te adducis, cōtrariā tuę assertioni sententiā proponat, quinimo vbicunq; vitari possit sanguinis missio, vitādam esse consulit ea methodo, quam Hipp. 2. de rat. vict. proposuit, priùs calidis fomentis tētādo si lateralis affectus dissolui posset, vt in Anaxione fecit, nā si id ex votis succesisset, citra venęsectionem curatus fuisset, sin minus, increscente affectione ad venę solutionem (vt fecit) se cōtulisset. Neq; ob id de ignorantia redarguēdus venit, quia non intellexerit hac ratione à principio plenitudinis signa

Com. 3.
Com. vlt.
Lib. de curā. corp. malis. cap. 50.

Quō intelligendum sit, morbū laterralē in cruēta spuentib' impedimentum esse ad sanguinem mittendum.

gna non extitisse, non enim aderant signa per quæ id intellexisset, donec sexta die cæpit delirare, septima verò, febris inualescere, ideoque tentauit primis diebus, num fotibus curari posset, quod cũ perficere non potuisset, & ex febris augmento septima die cognouisset iam plenitudinis signa adesse, morbumquę sanguinis missionem postulare, ideo octauo die sanguinem misit, alioquin si percepisset quam dicis plenitudinem, atque necessitatem ad sanguinem mittendum, non vtique fomentis curationem aggredi tentasset, sed statim sanguinem misisset, curationeq; tentatiua, quæ potest ex votis succedere, & non succedere, cognita plenitudine, & morbi vehementia, non vsus fuisset, sed certissima potiùs curandi via per maiora auxilia venæsectionis, aut purgationis, curationem incepisset. Dixit igitur Galenus sanguinem expuentibus ob lateralem morbum ex Hippocratis sententia non esse secandam venam, vt sanguinis sputum reijcientibus, sed proprijs morbi lateralis regulis curationem perficiendam. Propriç autem regulç sunt, in primis à fomentis auspicari, vbi aut certò speramus per dissoluentia, & per halitum digerentia remedia affectum curari posse, aut tentando, si curari non valeat, saltem per fomenta plenitudinis signa inualescente morbo manifestentur, tuncque tentatiua curatione relicta ad sanguinis missionem, vel purgationem, prout morbus postulauerit, confugere possumus. Hac ratione ductus Galenus hominem morbo laterali laborantem cum sanguinis sputo citra venęsectionem liberauit, in quo talis erat habitus, atque uires, ut si sanguinem expuisset, quoniam morbi magnitudo vrgeret, ad sæcandæ venæ auxilium accedere ausus esset: quod non fecit, quia morbus lateralis mitis admodum erat, & alijs remedijs curari poterat. Quòd si eo tempore, quo hominem illum curauit, febris fuisset adaucta, morbusque grauior apparuisset, quis dubitare poterit Galenum tunc venæsectionis auxilio opportunè uti posse? Quamobrẽ ex citata historia magis Altimari doctrina elucescit. Quod uerò Ioannes Altimarus dixit, Galenum nempe nullibi asseruisse Hippocratẽ Anaxioni

xioni sanguinem misisse ante octauum diem, uerissimum est, neque contrarium ex adducto à te loco tertio de morbis vulgaribus poterit comprobari. Secus enim existimat Galenus in historia Pythionis, qui primo die cæpit laborare cum manuum tremore, febre acuta, & delirio, secundo uerò cuncta fuerunt exacerbata, quamobrem cùm grauissimus morbus esset, à grauique causa obortus, primis diebus Hippocratem venesectione usum fuisse affirmat, & si eius scriptis non constet eam scribere: in Anaxione autem, quia accidentia non fuerunt exacerbata usque ad sextum diem, quo cæpit deliriũ, & septimo inualuit febris, ideo ante octauum non protulit sanguinem misisse, ut latiùs explicauimus in epistola octaua, ad quam ueritatis studiosos remittimus, ne quæ alibi dicta sunt sępiùs repetantur. Ex dictis igitur concludere liceat, Hippocratem Anaxioni à principio sanguinem nõ misisse, quia quantum attinet ad artis pręcepta, & ueram medendi rationem, primis diebus non uenęsectione, sed alijs potiùs auxilijs uti expediebat. *Com.1.te.3*

QVOD SVE TVRGENTIAE NOMINE NON comprehendat Hippocrates humores omnes tenues acutũ morbum concitantes, aut venefica qualitate infestantes, seu crassos multitudine grauantes, & acutum, ac periculosum morbum mouentes.

DEFENSIO QVINTA.



VODECIMA depulsione clarè monstrauimus ex tenuibus humoribus acutum morbum concitantibus illos tantùm turgẽtes fore appellandos, qui stare loco nequeũt, & concitatiori motu de loco ad locum mouẽtur, sumpta similitudine ab animalibus quæ ad coitum properant, quamobrẽ quiuis alius humor tenuis, & si acutum morbum generet, atque peri- *Qui humores dicantur turgentes.*

periculosum, si dicto modo de parte in partē non moueatur, turgens dicendus nō erit, eademq; ratione neq; in morbi principio per expurgans medicamentum euacuandus, donec maturescat: cùm autem rarò turgeant humores, rarò etiā acutos morbos concitabunt: quamobrem rarissimè in acutorū morborum principijs medicamento expurgante uti conueniet; quia rarissimè inter acutos, atque periculosos morbos reperiuntur, qui ex turgentibus humoribus cōcitētur. Si igitur (vt tua est sententia) sub turgentiæ nomine omnes acuti, ac periculosi morbi à quacunque materia procreati ab Hippocrate comprehenderentur, cùm tales morbi sępissimè reperiantur passim etiam turgentes humores, & non rarò (vt Hippocrates affirmauit) in humano corpore procrearentur, & sępe in acutis passionibus, nō rarò medicinis purgātibus vteremur. Quod eiusdem Hippocratis sententię repugnat, qui nō in omnium acutorum morborum principijs utendum esse medicamento expurgante asseruit, nisi eorum duntaxat, qui à turgentibus pendent humoribus, raroq; tales inueniri, quia etiā rarò humores turgent; cùm multùm differant celeriter moueri, & cū turgentia moueri: ideoque pestiferus humor qui fixus est, & assiduè de loco in locum non concitatur, etiā si sua qualitate venefica cor infestet, turgens minimè dicendus erit. Similiter crassus humor licet pręcipuum membrum infestet, aut maiori quantitate redundet, quàm à natura conuinci possit, inter turgentes non erit connumerandus, neq; hac ratione per expurgans medicamentum euacuandus ante debitam ipsius coctionem. Non enim crassus, atq; crudus humor epilepsiam concitans per ventrem euacuatur à natura, quamobrem neq; ab arte eius imitatrice id vnquam fiet: similiter quando apoplexiā concitat, nunquam eo tempore natura tentat, nec valet copiā crassi, atq; crùdi humoris cerebri ventriculos replentis per secessum euacuare, sed ad vicinas partes propellere curat, vt viæ animalis spiritus, quæ interclusæ erant, reserentur. Quarè neque illius humoris euacuationem ars per expurgans medicamentum tentare vnquam debet, nisi in dictis morbis pharmacis

22. aph. primæ sect.

24. aph. secundæ sect.

cis vtamur gratia reuellendi illum humorem præcipuum mẽbrum occupantem, aut ad illũ properantem, seu quandocunque humor est omninò putrefactus, atq; corruptus, & à natura alienus, ita vt à natura concoqui non possit: tunc.n. natura ipsa, quem humorem concoquere nõ valet, conatur expellere, ideoq; tunc medicamento trahente adiuuanda. Non.n. humor dicto modo corruptus crudus nominari potest, cruda enim coctionem admittunt, non autem omninò putrefacta, & à natura destituta: quoniam Hippocrates solùm cruda non esse à principio morbi expurganda asseruit, quia coctionẽ admittere valent: non negauit tamen, quæ omninò vitiata sunt à principio, & expurgari posse, & deberi: vt in alopeciȩ curatione, quæ ex humorũ vitiatorum redundantia oboritur, Galenus facit. Et deniq; succos tenues, & aquosos, quales sunt hydropem ascitem generantes, & alia quęcunq; aquea materia, ideo purgandos à principio pręcipit, quia concoqui non possunt magis quàm aqua ipsa. Quoniã uerò Hippocratis, ac Galeni authoritatibus, quas pro corroboratione tuę sententię, & Altimari confutatione, in tuis adducis commentarijs, & de nouo in apologia proponis, 12. depulſ. satisfecimus, & dictorum uirorum mentem multò aliter interpretandam patefecimus, non est quòd de nouo uerbosiùs agamus. Quinimo concludamus cum Ioanne Altimaro pro uera patris sententia pugnante, uocabulum turgere pro uerissima, & quæ rarò cõtingit humorum turgẽtia ubiq; in Hippocratis, & Galeni doctrina accipiendum, neq; ad alium falsum, & somniatum turgentiæ modum ampliãdum. Verùm ut plurima incommoda, quæ ex tua opinione sequũtur, uitare possis, nisi ea uera sit, quam tradis expositio de uocabulo turgere, ut comprehendat multam materiam acutum morbum cõcitantem, seu venenosam, aut ad principem particulam ruentem, Hippocratem, & Galenum tanquàm diminutos meritò accusandos fore existimas, qui tantùm in humore turgente, qui velocissimo hac, & illac concitatur motu, à principio vtendum esse expurgante medicamento dixerit: quod vitium cùm illis tribuendum non sit,

Vt 4. metho. c. 6. asseruit Gal.

4. de sanita. tuen. c. 4.

1. de comp. med. secundũ locos c. 2.

ſub turgentia prędictos caſus de materia multa, venenoſa, & ad princeps membrum mota comprehendendos eſſe exiſtimas, in quibus in morborum acutorum principijs purgatione vti cogimur: ſicq; aphoriſmum Hippocratis integrum apparere, qui aliàs diminutus extitiſſet. Verùm pręterquàm quòd dicta ratione ex materia multa, venenoſa, aut ad princeps membrũ fluente ſępe acuti morbi concitantur, ſæpiſſimeq; turgens materia reperiretur (quòd eſt contra ipſum Hippocratem aſſerentem raró turgentem materiam inueniri) adhuc & ſi turgẽtia non intelligatur, niſi de humoribus, qui de loco ad locum concitatiori, & inordinato motu mouentur, vt verè intelligitur, non ob id ſequitur Hippocratem, & Galenum fuiſſe diminutos. Nanq; aliquando in morbis à materia non turgente cõcitatis, vtimur (vt 10. depulſ. abunde expoſuimus) in eorũ principijs medicamento expurgante, quando ita corrupta, & à natura deſtituta eſt, vt nullam poſsit admittere coctionem, aut cùm gratia reuulſionis alios humores in corpore redundãtes purgatione euacuam⁹, vt ſucceſsione ad id, quod euacuatur, quæ ad principem partẽ fluit, aut fluxa eſt materia, reuellatur. Quamobrem cùm in apologia nihil noui afferas, cui in depulſione noſtra reſponſum non ſit, circa negotium adeò clarum, & à doctiſſimis quibuſq; medicis receptũ de explicatione turgentię, tuæq; ſententię confutatione, non eſt quòd ampliùs tẽpus conteramus; pręſertim quòd Galeni in Hippocratẽ explicationes ad tuę opinionis corroborationem adeò retorques, vt nemo iam ſit, qui ductus nuda veritate à nobis expoſita, in quonam dictorum tuorum fallacia conſiſtat, ignoret. Vnum tamen ſilentio præterire nequeo, quòd in fine apologiæ aſſeris, ſecurè poſſe nos in quorumuis morborum acutorũ principijs hac noſtra tempeſtate facilioribus, & benignioribus ex purgantibus medicamentis vti, vt manna, caſſia, rhabarbaro, ſaccharo violaceo, ſyrupo ex pluribus infuſionib⁹ roſarum, & alijs ſimilibus, quibus aut vetuſtiores medici carebãt, aut illorum purgãdi facultatem ĩgnorabant, ideoq; non pręcedente coctione ſi talium medicamentorum benignitas, atque pur-

gandi

gandi vis cognita illis fuisset, in dictorum morborum principijs talibus medicamentis vti non renuissent: sicq; consulis ex tua sententia, atq; secundùm Fernelij doctrinam, & aliorum iuniorum, non solùm in acutorum morborum principijs, qui periculosi sunt, sed eorum etiã, qui periculo vacant, dictis medicamentis benignioribus vti oportere, vt deonerata natura eo, quo veluti sarcina premebatur, faciliùs quod reliquum est, concoquere, & vincere possit. Verùm non ob id quòd medicamenta prædicta nobiliora sunt, & tutiora, rectè concluditur vtendum illis esse in acutorum morborum principijs, quò minori facta materia natura reddatur potẽtior supra residuum: nam licet ex natura sua tutiora sint, quia tamẽ naturæ nostræ non tantùm repugnant, quantùm validiora, qualia sunt scamonium, & Peplion, non ob id propinanda sunt materia non concocta. Si enim quę maiorem habent purgatricem uim, ut scamonium, crudos humores nõ educunt, quia à natura retinentur interim dum eos concoquit, quomodo quę minorem purgandi facultatem habent, vt manna, aut rhabarbarũ, eosdem crudos euacuabunt? Ea igitur ratione, qua validiora medicamenta crudos humores euacuare nequeũt, multò minus debiliora eos euacuabunt: & sicut fortiora mouent, & nõ euacuãt, ita etiam debiliora mouebunt citra vllam euacuationẽ, in hoc tantùm differẽtia, quòd benigniora minorem virium dissolutionem, corporisq; turbationem ex motu, quàm validiora efficient. Verùm nõ ex eo quòd minus lædant, sequitur illis vtendum esse in morborum acutorum principijs ante humorum coctionem, debitamq; ad expulsionem preparationẽ. At ubi humores cõcocti sunt, vięq; probè pręparatę, fatemur ingenuè, maiori cum fiducia posse nos benignioribus vti medicamentis, quia minus calida sunt, minusq; nostrum corpus alterare valeant. Nullum est enim medicamentum adeò benignum Galeno authore, quod citra noxam magnificè prosit, quò igitur fuerit benignius, minùs lędet. Cùm itaq; crudi humores, & si maxima quantitate redundent, ad motum pigri sint, & impacti partibus adhæreãt, quæ suo natiuo calore illos

Medicamentis purganti b' benignioribus haud vtẽdum crudis existenti bus humoribus.

11. meth. cap. 14.

concoquere intendunt, & interim dum concoquuntur, retinent, medicamentis trahentibus non cedant, nulla illorum portio euacuari poterit, interim dum crudi sunt; quamobrē cùm eos minorare expurgans medicamentum non valeat, nō verè de crudis humoribus verificari potest, quòd per expurgās medicamentum minoretur materia, eaque minori facta, natura supra residuum potentior euadat: nisi illud in crudis verificetur humoribus, qui turgent, & inordinatè de parte ad partem mouentur, medicamento enim trahente, & natura partium irritata expellente, illorum portio euacuari potest, minorataq; materia, quæ vt sarcina premebat, fiet tunc natura potentior. Licet igitur Salue doctissime, in medicę artis doctrina, vbi cum rei natura consentis, tibi plurimū tribuamus, tamen cùm aliquando videamus rem multo aliter se habere, quàm in tuis commentarijs, & apologia scripseris, veritas eadem, cui magis addicti sumus, nos coegit à tuis opinionibus interdum recedere, & Altimari, nostriq; pręceptoris Christophori à Vega, aliorumque peritissimorum virorum sententias amplecti, atque defendere, quod pietati potiùs, quàm contradicendi libidini, nobis tribuendum est.

FINIS.

Imprimatur. *Honofrius de Porta Vic. Gen. Neap.*

P. Bartholomaus Perez Theologus ex Societate Iesu vidit.

Errata maioris momenti ita corriges.

Pag.	Lin.		Pag.	Lin.	
25	16	*ij, debet legi ijs.*	79	20	*phantafiam, phantasiam.*
29	20	*victandi, victitandi.*	88	3	*quoque, quodque.*
42	22	*manifectum, manifestum.*	89	32	*dirgessionem, digressionē.*
43	8	*ino, in*	94	25	*æriginosam, æruginosam.*
43	9	*quæ Brasauola, quæ à Brasauolo.*	96	12	*sunlt, sunt.*
			96	27	*qoud, quod.*
55	18	*equm, equum.*	110	29	*labolantes, laborantes.*
57	30	*apellatur, apellantur.*	112	1	*pussularum, passularum.*
62	3	*doloris, dolores.*	123	11	*reuelledi, reuellendi.*
68	3	*miaor, maior.*	141	11	*nurrimenti, nutrimenti.*
70	10	*faciendm, faciendum.*	145	13	*neclecta, neglecta.*
73	23	*adhlbere, adhibere.*	148	22	*libij, lilij.*
75	25	*eruda, cruda.*	178	26	*exaguibus, exanguibus.*
76	31	*inditium, iuditium.*	185	1	*corports, corporis.*
76	34	*biliffa, biliosa.*	190	1	*seruatur, secernatur.*
79	16	*& conferentia, & tollerantia.*	194	30	*loco, loc.*
			265	17	*calidus, calidis.*



SERIES CHARTARUM.

† †† ††† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM.

Omnia sunt integra folia, preter Dd 3. quod est semifolium.



